



De arte bibendi libri tres

<https://hdl.handle.net/1874/433585>

DE ARTE
BIBENDI
LIBRI TRES, AV.
TORE VINCENTIO
OBSOPOEO.

D. SEBASTIANI HAMAXVRGI APVD
fontes salutares frumentatoris, Hexastichon.

Naso quidem pulchrè leges præscribit amandi,
Vt certa insanus curreret arte furor.
Pulchrius at multo tradit Vincentius artem
Potandi, quo sit certus ubiqꝫ modus.
Vt sit amare nephias, tamen est potare uoluptas,
Ex qua uirtutem regula iuncta facit.

Ioachimus Camerarius Quæstor Lectori.

Hocuiso Ebrietas oculo manante libello,
Hæc fertur tremulo uerba loquuta sono.
Nunc minus inter ero externos despœcta meosq;
Cum mea iam certa pars ratione bimet.
Ante erat ille furor, nunc est doctrina futura,
Nunc etiam ars animi desipientis erit.
Quid dicam, an fieri credam potuisse; quod iste
Insanire docet cum ratione liber.
Gloria magna mea est: sed ut hæc qç magna futura
Est tua uinosæ noctis amica cohors.
Discite, ait, bona res est discere. plura uolebat
Dicere, sed dubij uox erat illa soni.
Ergo caput figens ceruice in pectore flexa
Incertum balbo murmur ab ore dedit.
Sed sicut quidam se percepisse putabant,
Autori grates uisa referre fuit.

Idem.

Ἐπειδὴν δέ τοις αὐτοῖς πάσαις οὐδὲν
καὶ τρεβλόπουν ἵλαρας φρεστὶ φλεστὶ μίθῳ,
εἴ μὲν θυμὸς εἴ τιθει πλέοφεν διώχμης δε
λείπεται οὐδὲ λίγοφερ σώματι δεμνιαμένη,
τοίκις Νικήτης δίδυνε πρέπει φαρμακα τεχνής
ώς γέ μέσας αἰδεῖς οινοποταὶ ζέμιναι.
μὴ πίνα τινὰ δίσηπτε μέχαν σμικροὶ θρασὺι αἴσφα,
τέχνη πούς ἵωσον πολὺν ὄποιον ἐλᾶ;

D. Sebastiani Hamaxurgi carmen.

I
Vpiter è celso nuper prospexit Olimpo,
Conditor ut mundi cerneret huius opus .
Proh quid (ait) uideo , ueri ignorantia corda ?
Quis uos mortales occupat error iners ?
Proh quot ego aspicio redolentia dolia Bacchum ?
Dolia uix longo deinde replenda die .
Omnia uesanu furor implicat , omnia toto
Sub cœlo demens possidet Ebrietas .
Sardanapalineis respondent omnia curis ,
Et sedet in primo mustea turba loco .
O curuum genus ? ô mores ! ô secula ! cur phas ?
Cur recti studium displicuisse queat ?
An quia non procul illa dies suprema futuri
Iudicij aut magni terminus orbis adest ?
Est aliquid clausum tanto sub pondere rerum
Quod modo ne pergam pandere , fata uetant .
Vt cuncti hoc ueniat , maturans omnia tempus
Pandet , & ulciscens , facta sinistra , dies .
Dixit : & astantem compellat nomine natam ,
(Nomen erat natæ , sic puto , Sophrolyne)
Accipe (ait) quæ trado tibi mandata salutis ,
Nanci mei sensum pectoris illa tenent .
Quærere mortales cœlestia templa monebis ,
Omnia perpetuae quæ bona pacis alunt .
Aut scelerum poenas , Nemesis sub iudice , pendant .
Plurima dicturum , non tulit hora breuis .

Illa tamen chari exequitur mandata parentis,
Et petit humanum, Sobria uirgo, genus.
Si quæras quæ eius fuerint exordia; præfens
Nimirum è multis pauca libellus habet.

Georgij Læti Tetraastichon.

QVi bibit, arte bibat, uincit Vincentius omnes,
Quotquot potandi de ratione docent.
Haud, uelut apparet, leuis ars est, uina bibendi,
Quæ nisi fert docto commoda, damna rudi.

Sebaldus Heyden Lectori.

CRIMINA qui melius fieri docet arte, Magister
Improbis, haud quicquam laudis habere potest.
Quò fit, Naso, tuos ut nunc uitemus amores,
Quòd nos insanos cum ratione facis.
Dum ratione regi nequeat quæcunq; modo res
Consilioq; uacat. Desipit omnis amans.
Ars non est scelerum. Virtuti regula seruit.
Ut quæ sola suis constet ubiq; modis.
Hinc melius noster Vincentius uititur artis
Nomine, qui sanos cum ratione facit.
Non docet ut nimium potetur, quin magis urget
Ut sit & in potu cum ratione modus.
Ebria detestans conuiuia, Sobria laudat.
Cui parens, nunquam plus satis ille bibet,

ORNATISSIMO

ATQVB HVMANISSIMO VIRO
IOANNI HARTTVNGO IUDICI IN
Fonte Salutis, Vincentius Obsopœus
Salutem plurimam.



VO tempore Philippos Rex Macedonum infesto exercitu Corinthum inuasurus nunciabatur, Corinthij omnes ingenti consternatione exanimati trepidabant, ac certatim rebus ad defendendam, patriam necessarijs incumbebant; hoc quidem arma ac tela renouante, illo lapides apportante, alio moenia instaurante, & muros aeo fragiles & ruinosos reficiente, illo turre ac propugnacula excitante: & in summa, alio aliud, quod usus exigebat, exercente. Quam populis sedulitatem cernens Diogenes, cum nihil ne gocij haberet cui uacaret: nemo enim eius opera utebatur, succinctus pallio, cœpit & ipse dolium in quo habitabat in Cranio sursum ac deorsum multo cū studio uoluere. Cūq; à quodā familiarī rogaretur, cur hoc faceret, Voluo, inquit & ego doliū, ne solus tot laborantibus cessare uidear. Quorū sum hæc, inquis? Horum optime Harttunge, ut intelligas, & mihi idem cum Diogene id ætatis accidere, in tanta turba scribentium, & libros in lucem edentium. Cum enim non desint, qui in omni genere artium quotidie infinitos libros atq; equidem mirificos conscribant & publicent: & quosdam usque adeo insanabile scribendi cacoëthes teneat, ut non vereantur optimos quosq; authores utriusq; literaturæ in lingua nobis uernaculam transfundere: qua re omnem eruditioñem & humanitatem, atq; adeo ipsas Musas non secus atq; lenones ingenuas puellas turpissime prostatuunt: quasi non ante res literaria quorundam clamatorum opera (quos recte cum Nazianzeno αὐθικευούσι τοφούς καὶ λεπτοναντούσι) Θεολόγως dixeris. οἰς αρ' οὐδὲ λέπει μόνον

πεδες οντας οφεις) satis supercepit magno contemptu laboraret. Et Philosophi veteres prorsus de nihilo omnem philosophiam arcanis quibusdam notis & symbolis inclusam discipulis suis tradiderint, nequid harum rerum temerè profanis communicaretur. In tanta inquam scribentium multitudine & turba interpretum, ne solus oculum sectarer, uisum est mihi uel cum Diogene dolium aliquantis per uoluere. Quia uero ad magnas illas artes describendas ego me sentio minus esse appositum, & nemo in illis tradendis operam meam admodum requirit, contulsi me ad unam quidem ipsotitulam & aspectu ridiculam, sed haud scio an frequentiorem & magis popularem, nempe artem bibendi, cuius usus & exercitatio quam latè pateat, quis non uidet? Illud tamen doleendum uenit, eius artis, quam omnes ferme homines sectantur, hactenus nulla extitisse præcepta à quoquam perscripta, quae homines sequuntur, eruditius, moderatus, atque scientius bibissent. Certum autem est non tot barbarismos & solcēcismos quotidie committi ab imperitis artis Grammaticæ, quot errorib[us] in dies singulos labantes turpiter peccent potores hac arte non instructi. Sed & illud satis certo constat apud Græcos fuisse επιστήμων κοινόν πάθος: apud Latinos uero modis operatores, & magisteria, & regnum sortiones in conuiujs, artem uero bibendi fuisse unquam ab ullo traditam compertum non habeo. Nam quæstiones conuiuales & dīpnologiæ partim à Plutarcho, partim ab Athenæo, partim etiam à Platone & Xenophonte, tum apud Latinos à Macrobiō conscriptæ, magis garrulum faciunt & loquacem, quam bibacem. Posse autem huius quocunque artis certa inueniri præcepta per æque, atque alicuius alterius, nemo nisi cui non fuerit sanum sinciput, temerè inficiabitur. Quod ego animaduertens, & genus humanum miseratus hac sola in re destitutum, quasdam obseruationes multo usu compertas subnotauī, & in hos tres libellos congregatas publicauī, ut alijs maiori eruditioe & ingenio præditiis, latiorē
hac

hac de re meditandi & scribendi caussam & occasionem sup
peditarem . Mihi sufficit quosdam huius artis fontes aperu
isse , non inuidabo si quis hanc pro dignitate accuratius ex
poluerit & auxerit . Libuit itaq; sicut dixi , in tanta turba
non solum scribentium , sed etiam bibentium , ac diu noctuq;
dolia euacuantum , hoc Diogenianicum dolium uoluere ,
quia mihi non datur cum cæteris Corinthijs rebus graui
ribus , & argumentis grandioribus uacare , obstante frigi
do circum præcordia sanguine . Libenter etiam meo pede
me metior , probe perspectam habens domesticæ suppelle
culis angustiam . Quare non inuitus Horatiano præcepto
parui , ac uiiris meis non omnino imparem materiam de
scribendam suscepi . Altera huius dolij uoluendi caussa mihi
fuit nonnullorum hominum de me falsa opinio , & crimina
torum quorundam maledicentia , qui cum me sumnum uini
potorem passim (licet immerenter , & nulla unquam lacessi
ti iniuria , nisi quod sine obtrectatione alieni nominis uiuere
nequeant) accusent , ignorant stultissimi homines , quod ho
nestissimo probro me afficiant . Necq; enim Plato ille philo
sophorum Coryphaeus abs re pulcherrimum uirtutis præmi
um μέθην αἰώνιον esse putat . Et si id præmij uirtutibus meis
minus affectem . Quanquam enim uino magis quam aqua
delecter , ea tamen moderatione eius usum hactenus tempe
raui , ut semper curauerim , ne cui mea sorbitio fraudi foret
aut damno . Cum interim sobrietatis cultores illi mei crimi
natores , qui Curios simulant & Bacchanalia uiuunt , longe
detestabilioribus uicijs & criminijs contaminati non pau
cis hominibus sua pestifera doctrina fuerint exitio . Malo au
tem paulò immoderatior οὐοπότε duci , quam merito accusa
ri aut seditionis , aut doctor pestilens , aut in Deum blasphe
mus , aut alienorum scriptorum falsarius , aut sacrae Scriptu
ræ peruersor , aut disturbator pacis & concordiae Euangeli
cæ , aut pestilentissimæ hæreseos author & adiutor , aut sacrile
gus ac nefarius Sacramentarius , aut furia Anabaptistica ,
aut

aut deniq^z turpis moechus , aut impostor , aut plagiarius .
Sed meis criminatoribus peculiari scripto respondebo , da-
turus operam ne frustra cicadam (quo d aiunt) ala compre-
henderint . Ut tamen uideant qua æquitate hactenus & uiu-
lentia nomen meum traduxerint , huc liuidos uertant ocu-
los , & pergent maledicere , malefacta ut noscant sua . Tibi
porrò Hartunge charissime hunc meum lusum inter pocula
maiori ex parte tumultuanter κεντηποργόντας effusum nomi-
natim dedico . Quanquam uero uirtus & præstantia tua ma-
iori munere digna fuerit , neq^z tamen mihi , quid te dignum ,
sed quid ego præstare potuerim , fuit respiciendum . Quod si
minus aurea statua te , pro ut meruisti , honorare potui , bo-
ni consules si pro tempore hanc marmoream , uel potius lute-
am seu argillaceam tibi posuimus . Que si modica est , & di-
gnitate tua inferior , cogitabis κεντηποργόντας οίλεν τούτη δικαιο-
μου . Reuerendo patri domino Ioanni Abbatⁱ me commen-
dabis . D . Sebastiano Hamaxurgo Frumentatori salu-
tem meis uerbis annuncia , qui & ipse saepius nobis
cum non quidem Diogenis dolium uoluta-
uit , sed Bacchi dolia euacuavit . Ex
Onoltzpathio , mense Ianuario ,
anno M . D . XXXVI .

VINCENTII OBSOPOEI LIBER PRI- MVS DE ARTE BIBENDI.



I QVIS in hac artem non nouerit ur-
be bibendi

Me legat, & lecta doctior arte bibat.

Arte laboriferi tollitur in astra Colossi:

Arte per undisonas nauita currat aquas.

Gnosius audaci quoq; Dædalus arte uolauit:

Nullus erit qui non uincitur arte labor.

Dulcia symposij ne uina bibamus inepti,

Et Bromius nobis arte colendus erit.

Qui nisi præcipua, sicut decet, arte colatur,

Iratum cultor sentiet esse Deum.

Sicut enim est placidus, sic intractabilis idem

Cum spreto indignè numine cultus erit.

Sibibis indocte, sunt noxia uina bibenti:

Sunt bona, si docte dulcia uina bibis.

Quam sectere igitur certa est opus arte bibendi:

Qui cupis hanc nostro disce magisterio,

Vsus opus monet hoc: uati parete perito:

Non fluit hic uana falsus ab arte labor.

Hanc multo bibulæ partam sudore palestræ

Artem non fictam trado iuuenta tibi.

Bacche pater uatum, dulcissime Bacche deorum

Tu mea nectar eo corda liquore moue.

b Non

DE ARTE BIBENDI

Non ego compositis hedera lauroq; coronis
Cingere diuinum quæro poëta caput.
Talia grandiloqui sumant sibi præmia uates,

Qui fera sublimi carmine bella sonant.
Pampineis potius cingas mea tempora sertis:

Nam Bacchi uatem bacchica sertæ decent.
Fac scelix plenis spumet uindemia labris:
Impleat ut magnum quælibet uua cadum:
Proueniant largo genialia gaudia fructu,

Horreat ut messes uinitor ipse suæs.
Non magè Pieris crescent mea pectora flammis,

Quàm mihi scribenti si noua musta dabis.
Non ego Castalias nunc postulo feruidus undas,

Non sitio Aonias ambitiosus aquas.
Arida uitifluo mea proluce guttura rore,

Si tua uis tolli carmine sacra pater.
Haud mihi mens ardet lurconum scribere turbæ,

Nocte dieq; tuas quæ male perdit opes.
Symposium licitum, concessaq; uina canemus,

Non erit in nostro carmine lurco bibax,
Non turpis comedo, non ebrietate frequenti

Infames, penitus gens odiosa tibi.
Qui neq; sunt factis, neq; fronte, uel ore pudici,
Omnem qui superant sorbitione modum,
Quéis nihil est pensi, quéis spernitur oīs honestas,
Hos ego submoueo prorsus ab arte mea.
Quos bene non homines, sed foedos iudico porcos,
Et si quid porcis foedius esse potest.

Hic

I LIBER PRIMVS.

His mea plectra sonant ratio quos tangit honesti,
Et quos dicit honos, & bona fama mouet.
Cum quibus audebunt matres potare pudicæ,
Castaç non lesa virgo pudicitia.
Et ne longa breuem uincant exorsa libellum,
Hinc meus à primo carcere currat equus.
Principio tríplici bibimus ratione modoç,
Scilicet aut nostræ pocula sola domi,
Aut aliquos nobis sorbenda ad uina sodales
Iungimus, egressi quolibet ante foras.
Siue frequentantes conuiuia publica lætiæ,
Cum populo bibimus conueniente merum,
Sæpe à cognatis, à sæpe uocamur amicis,
Ad sua nos sponsus gaudia sæpe uocat.
His ut inoffensè mensis data uina bibamus,
Hæc tria materies carminis huius erit.
Nam quicunç cupis uino genialiter uti,
Et uis iucundè uiuere, uiue domi.
Fertur amica domus, fertur domus optima: nusç
Viuere commodius liberiusç potes.
Præcipuè tibi si fuerit dilecta iugali
Legitimè coniunx associata toro.
Hac præsente domi Leni fer sacra Lyæo,
Hæc erit una satis dulce sodalitium.
Quos potes uxori fidæ præferre sodales?
Quos illi fratres præposuisse uelis?
Fidior est socijs, est fratre fidelior uxor,
Et matri candida nupta fidem.

D E A R T E B I B E N D I

Rara fides socijs: semper fidissima coniunx,

Cuius in audebis fundere quæc sinum;

Sollicitis tecum consumitur anxia curis,

Sustinet hæc totam sedulitate domum.

Illa tibi paribus curis responderet, & æquat

Illa tui flamas cordis amore pari.

Haec studiosa tibi seruit dominocz uirocz,

Te colit atqz fouet pectore, mente, sinu.

Exhilarat tristem, pressum leuat illa dolore,

Semper in æquali parte laboris adest.

Delectat casto Veneris te munere, crebro

Prole noua lætum te facit esse patrem.

Cuncta domi audebis: dominaris in ædibus ipse,

Tecum, quem possis ledere nemo babit.

Sola meri tecum fruitur dulcedine coniunx,

Quæ nunc assueuit moribus apta tuis,

Gnara tuæ uitæc tui iam gnara ferendi.

Dictorum patiens & bene docta tuum.

Obsequio maiore tibi deuincis amorem

Coniugis: hæc tecum si data uina babit.

Plusqz uoluptatis scyatho decerpis ab uno,

Quam si persiccas dolia plena foris.

Non ita se uilem tibi sentiet esse marito

Charam, sed cordi funditus esse tuo.

Nec molli solum te uita rebitur uti,

Sola domi uacuos dum sitit ante focos.

Ex animo gaudere potes, ridere solutus,

Et quæ bucca feret dicere cuncta licet.

Sic

L I B E R P R I M U S.

Sic non pauca domi potans uitabis acerba,
Quæ tibi potanti sunt subeunda foris.
Occultos morsus, iocularia dicta, salesq;
Obliquos, linguæ scommata multa malæ.
Et derisoris lannas, nasum, atq; cachinnos,
Scurriliq; leues garrulitate iocos,
Insuper indecores turpi certamine rixas,
Quæ surgunt caussa sæpe mouente leui.
Dic age te quoties ad uina aliena profectum
Poenituit propriam deseruisse domum?
Vel cum rixantes linguis es passus amaris,
Aut alia ingenuo non bene digna uiro.
His peiora domus prohibet tranquilla: bibentem
Quæ foris assiduo turbine sæpe petunt;
Venari nemo tua dicta studebit ini quis
Auribus, ut cupidis efferat illa foras.
Sæpe quod externè fit ubi temerè excidit ore
Prodita per iugulum uox redditura suum.
Quàm dent tuta tibi iucundaq; uina penates,
Carmine perstrinxit iam mea Musa breui.
Sed quis cuncta domus cōprendere cōmoda possit?
In qua pax & amor regnat : & alta quies.
Qua melior poterit, nec tuior esse receptus,
Quem tumidis ventis rara procella mouet,
Cui nunc arrident soli sua tecta bibenti,
Illi quam doceo nil opus arte mea est.
Illi ego non statui formam, normamq; bibendi
Condere, cui fas est uiuere more suo.

b ij Illius

DE ARTE EIBENDI

Illi⁹ haud noſtras ueniunt ſub pocula leges,

Sed bibat arbitrio, cum libet, ille ſuo.

Atq; ſuæ utatur uitæ ratione magiſter

Et rector propria ſub diſtione domus.

Sed tamē hoc caueat, ne ſit nimis ore procaſi,

Et ne, quād deceat, liberiora ſonet.

Aut quæ offendiculo teneris ſint auribus, aut quæ

Prodiſta per famulum ſint nocitura tibi.

Quot tibi ſunt famuli, totidem tibi ſunt inimici,

Horum atq; illorum fluxa perinde fides.

Inuigant audita ſemel ſimul atq; relinquunt

Non bene tractati tecta prioris heri.

Talia quo poſſis uitare pericula cautus

Fac ſtudeas linguae partiōr eſſe tuæ.

Aut tibi ſeruorum probitasq; fidesq; tuorum

Pluribus indicij ſit bene nota tibi.

Plurima ſæpe domi ſecuro effundimus ore,

Cum natat in madido lubrica lingua loco,

Quæ uulgata foras pariunt conuitia, lites,

Probra, ſimultates, iurgia, bella, minas.

His obſtendis potandum eſt ſemper honestè,

Et ſumenda tuæ uina modesta domi.

Aedibus in proprijs ſi quis ſolet eſſe modeftus,

Ille foris faciliter modeftus erit.

In ſumma, ſtudio fuerit dominoq; patriq;

Vt ſit honestatis regula iusta ſuis.

Et foris atq; domi par eſt meminifſe decori,

Et foris atq; domi ſobria uitæ decet.

Ordinis

LIBER PRIMVS.

Ordinis haec nostri breuiter sint dicta maritis,

Quos extra strepitum uina quieta iuuant.

Quæ si non leuiter fuerint præcepta sequuti,

Haud dubiæ nostra doctius arte bibent.

Perge Lyæ mero properantem impellere uatem,

Fortius hoc nunquam calcar habere potes.

Et quamuis ultrò curram non segniter, illud

Vltrò currenti, si sapis, adde tamen.

Tu facis ingenium, tu das in carmina uires,

Frigida cœlesti corda calore moues,

Tu melior Musis, tu maior Apolline, solum

Censeo te doctis uatibus esse patrem.

Iam noua mi facies, oritur noua forma bibendi,

Cernis opus nobis uitibus esse nouis.

Nam prodire libet: priuataq; linquere tecta,

Et gustare foris pocula sumpra placet.

Progressum lepidos iuuat accessisse sodales,

Multum læticiae turba sodalis habet.

Esto, domus sit amica, domus sit & optima semper,

Omnibus haud tamen est uxor amica domi.

Sunt quibus est rixosa domi morosaq; coniunx,

Qualis Xantippe Socratis illa fuit.

Mitius est longe cum dæmone uiuere nigro,

Quām semper tales per tolerare feram.

Viuat tarda sua testudo semper in aula,

Et uetula ardenter murmuret ante focum,

Dignos luce uiros custodes esse domorum

Dedecet: & conchis uilibus esse pares,

Et

DE ARTE BIBENDI

Et quis continuos queat exhaustire labores?

Quis semper studijs inuigilare potest?

Laxandæ mentis curæ sunt atq; dolores,

Quærendum facili mente leuamen erit.

Sunt etiam fessi refouendi corporis artus,

Sunt celebranda suo tempora festa mero.

Non rubor est festa tibi luce madere Tibulle:

Nec mihi sit festa lucemadere rubor.

Adde quodd humanæ dediſcit munia uitæ,

Qui latet exclusis omnibus usq; domi.

Et sensim brutescit iners, morosus, ineptus

Redditur, aspecta dummodo luce stupet.

Conuictus hominum uitat fugit aq; perosus,

Hoc unum memori semper in ore tenens,

Nemine delector, nemo est mihi gratus amicus.

Cum solo est dulcis nemine uita mihi.

Qui cupis ergo domo mecum potare relicta,

Gaudentiaq; hilarem sumere fronte diem,

Atq; misanthropi despecto more Timonis

Conuictus faciles, & bona uina sequi,

Permagni referre puto culturus lachum

Sorbendo uino cum quibus esse uelis.

Quos compotores tibi, quos uelis esse sodales,

Tum quibus ornatos moribus esse petas,

Esse etenim haud aptos, uerè liquet, omnibus oēs,

Ni sint ingenio, moribus, arte pares.

Inter dissimiles rara est concordia, crebro

Surgit ab imparili turba sodalitio.

Nauita

L I B E R P R I M V S.

Nauita cum nautis potet: cum milite miles:

Cum pastore bibat pascere doctus oves.

Cum medico medicus: cum rura colente colonus:

Cum sutori colat pocula sutor iners.

Cum monacho monachus: cum uestipillone pitisset

Polynctor, blanda cum meretrice lupa,

Lictori lictor, sed scribae scriba propinet,

Lurco lurconi, mulio mulotribae.

Auriga aurigam iungat sibi, uerna sodalem

Quærat seruili conditione Syrum.

Deniq; quisq; parem quærat sumatq; bibonem,

Qui sibi, quiq; suis moribus aptus erit.

Haud ægre coēunt similes parilesq; sodales

Natura, studijs, moribus, arte, statu.

Ne fallare tamen delectu, prouidus esto,

Sunt etiam similes, saepe parum similes.

Nec semper similis similem delectat amicum,

Dissimilis si sit moribus ille suis.

Quo minus hic erres, fas est audire magistrum,

Et placida suasus condere mente meos.

Elige iucundos syncera mente sodales,

Festiuos, comes, & grauitate probos,

Et pietate graues, & relligionis amantes,

Quos non ulla tenet uana supersticio.

Ore uerecundos, dictis, factisq; modestos,

Quos fouit casto docta Minerua sinu,

Quos Musæ & Charites, Cyllenius, acer & arcu

Delius ornarunt munere quisq; suo,

D E A R T E B I B E N D I

Eloquij uirtute, lyra, placidisq; camoenis,
Humanis animis, dulcibus ingenjs,
Doctrina uaria, candore, pudore, lepore.
Affatu facilis, gratia, amore, fide,
Cecropiae doctos linguæ, gnaresq; latinæ,
Qui noua cum priscis deniq; multa tenent.
Quos ducit uirtus, & amor contingit honesti,
Vlla nec ad uitium praua cupido trahit.
Tempore iam longo quorum probitasq; fidesq;
Pluribus indicis saepe probata patet.
Tales te nunquam cogent ad pocula, nunquam
Hi tibi ductores ebrietatis erunt.
Sed magis impensè uirtutum exempla bonarum
Plura sequenda tibi sobrietate dabunt.
Hæc persuasa tenens consortia praua cauebis,
Dummodo te studeas insinuare bonis.
His cum potabis conuiuia læta subintrans,
His cum uicina sede sedere stude.
A' bona nanc; bonis disces, deperdere mentem
Acceleras prauæ cultor amicitiae.
Propterea conuiue bonis, testaberis olim
Me bene discipulis consuluisse meis.
Talis enim semper uulgo censemebere: quales
Hi, quibus adiunctis pocula sumis, erunt
A' socijs de te subsurgit opinio uulgi,
Fama perit prauo clara sodalitio.
Ergo graues tibi iunge uiros, tibi iunge modestos,
Si famam claræ nobilitatis amas.

Sic

L I B E R P R I M V S.

Sic tibi non ulla fuerit opus arte bibendi,
Quam quod honestatis te moderere modo.
Quinetiam tibi si potes associare potentes,
Qua poteris proceres associare stude.
Hos tibi concilia suavi dulcedine morum,
Et facili uitae commoditate tuæ.
Obsequio & cultu, tum prompto pronus honore,
Et quocunq; potes nomine iunge tibi.
His cum saepe bibens firmos tibi iungis amicos,
Qui grauibus presso rebus adesse queunt.
Per quos diuitias, per quos nacturus honores,
Magnarum rerum culmina summa petes.
Qui prodesse queunt potius sectare sodales,
Vnde accrescit honos utilitasq; tibi.
Hunc hominum de se non turbat opinio ualde,
Qui sibi cum quoquis uina colenda putat.
Cuius nulla sonant uiuæ præconia laudis,
Sed latet obscuru[m] uita sepulta loco,
Nec spectata fides, sed abit sine pondere nomen.
Nec uulgo meritis gratia nota nitet.
Vilis eris celebrans cum uilibus orgia Bacchi,
Quo te mancipium uile iuuare potest?
Clarus eris claris, & magnus habebere magnis
Conuersans, ideo cautor esse stude.
Primum difficiles præfractis moribus omnes
Effuge, pectoribus ferrea corda gerunt.
Stirpe sati humana non sunt, de tigride nati,
Efferat quos aluit lacte leæna suo.

DE ARTE BIBENDI

Sensibus humanis uacui , quibus omnia sordent ,
Quorum dura tenet pectus amaricies .
Læticiae non sunt , non sint genialibus apti
Symposij , tristes & sine amore feri .
Qui tacito stomacho rabiosum pectus edentes
Omnibus oblatrant dicta molesta canes .
Cui nam quæso queat , cui nil placet , ille placere ?
Et nisi quæ solus fecerit acta probat ?
Tales ad Bacchi latices admittere noli
Explicita quoties uiuere fronte cupis .
Rixosos etiam caueas fugiasq; sodales ,
Ingenio primis haud meliore satos .
Diffona sanguineis illos discordia rixis
Bellacq; tranquillæ pauci inimica iuuant .
Aptius hoc genus est , ut Martia castra sequatur ,
Et gerat audaci prælia dira manu ,
Læta uerecundi quam quod conuiuia Bacchi
Conturbet rixis criminibusq; suis .
Semper inhumanum , sæuis est semper in armis ,
Atcq; ferox omni commoditate caret .
His adde inflatos sublata mente Thrasones ,
Inuisum cunctis sacrilegumq; genus .
Obstreperum atcq; loquax , quo nil iactantius usq;
Quo nihil in terris uanius esse potest .
Quos excæcauit ridenda philautia , qua se
Obstante haud unquam noscere rite queunt .
Pocula conuictu redduntur acerba Thrasonum ,
Quamuis nectarco uina liquore fluant .

Est

L I B R P R I M V S.

Est uitiosa sui iactantia , multa molesta

Ingerit , & secum tædia multa trahit .

Sublannant quosuis , ignari cedere cuiquam ,

Doctos despiciunt : despiciuntq; bonos :

Cumq; nec ingenij uirtute , nec arte politi

Emineant , omni non nisi parte rudes ,

Censores ueræ tamen hi uirtutis iniqui

In cunctis primas rebus habere uolunt .

Fabula narratur , sunt uates atq; poëtæ ,

Cantatur , superant uocibus Hermogenem .

De pugnis sermo est , fit mox inuictus Achilles .

Et memorat nunquam prælia uisa Thraso .

Artes laudantur , artes laudabit & ipse ,

Ludis carminibus , uersificator erit .

Deniq; cuiuscunq; rei fit mentio , semper

Hic Thraso materiam garrulitatis habet .

Præcipue infamem qui deposuere cucullam ,

Et profugi cellas deseruere suas ,

Hos ego te iubeo summe uitare sodales ,

Hoc totum genus est , tiro nouelle , nigrum .

Nigritiem uestis possunt deponere , mentis

Nigrorem nulla cum ratione queunt .

Exuperant furuos animi nigredine coruos ,

Exuperant atram , crede , nigrore picem .

Quos assueta diu comitatur hypocrisis , atq;

Quæ fouit mendax monstra monasta diu .

Callida adulandi gens , prudentissima fraudis ,

Fallere docta catos , fallere docta rudes .

DE ARTE BIBENDI

Omnia blandicijs miris in pectora serpit,
Syncerè nullum diligit atq; colit.
Et quis peiores nobis dabit ardentes?
Nomine quo solo monstra cauenda reor.
Hoc tamen haud omnes uolui perstringere uersu,
Hos etiam nidos deseruere boni.
Sunt qui palladio nutriti lacte sinuq;
Doctrina præstant, ingenioq; ualent.
Sed quia rara avis est quæ quærimus, hisce bibendo
Si poteris æqua mente carere, care.
Cœnobij redolent uitiantem pocula lernam,
Cætera celabo carmine pressa meo.
His cum blasphemos, & magni numinis hostes,
Tartareae pestes, qua potes arte, fuge,
Qui Christi corpus cum sanguine ter uenerando
Spurcidica ledunt impietate truces.
Nunquam surrexit maior blasphemia: nunquam
Auditum est fando maius in orbe scelus.
Nulla lues adeò mortalibus obfuit unquam,
Nulla adeò terris est nocitura lues.
Quantum sacrilegi terris nocuere magistri,
Qui sua ne Christus regna gubernet, agunt.
Quot miseris animas nigro mersere barathro?
Dum Sacramentum corpus inane docent.
Ergo fuge has uomicas, furiasq; facesq; luesq;
Consultum uitæ si cupis esse tuæ.
Quæris num tibi sint cum nullis uina Papistis?
Cumq; cuculligero uina bibenda grege?

Si cum

I C L I B E R P R I M V S.

Sic cum Iudeis, cum Turcis pocula sorbes,
Quid cum Papistis sumere uina uetat?
Plus ferè amicitiae, candoris, plus & amoris,
Plus reperi officij, plus & amoris ego
Sæpe penes aliquem ciuili mente Papistam,
Quàm penes inumeros ore subinde pios.
Si non blasphemari fuerint potando Papistæ,
Cum non cur illis uina iocosa colam?
Insuper & fidos nusquam bibat inter amicos,
Rimarum qui ceu Parmeno plenus erit,
Libera potarum qui dicta eliminat, & qui
Futilis atq; loquax nil reticere potest.
Nobiscum sorbere uolens sit Pythagoræus,
Audiat, auditum mutus Amycla tegat.
Adde quibus studio est alienam carpere famam,
Nomen & absentum rodere more canis.
Candida probrofa careant tua pocula lingua,
Quod bibis alterius sit sine labe merum.
Pectoris impuri certissimus ille character,
Et prauæ mentis dicitur esse nota.
Vicini neuos maculasq; referre libenter,
Eius & illoto uoluere in ore decus,
Limina quàm nigri censes fugienda barathri,
Tam tibi uitandas hos quoq; rere uiros
Quorum uox non est cum pectore consona, quoru
Læua manus panem, dextera fert lapidem.
Assentatores blandos, simul atq; bilingues,
Vulpinos, duplices, ambiguosq; puto.

Adde

DE ARTE BIBENDI

Adde loquutores mendacia uana uomentes,

Immodica cunctos garrulitate necant.

Est alienæ etiam pars concedenda loquelæ,

Inç uicem sermo suscipiendus erit.

Nec quadruplator siccabit pocula tecum,

Non uitiligator, non sycophanta malus.

Et si quos alios uitij̄s minimeç ferendis

Criminibus turpes noueris esse, caue.

Qui tibi sectandi sint, uitandiç sodales,

Diximus: hos memori mente animoç tene.

Quod superest studeas, tibi quos adiungere gestis,

His ut persimilis moribus esse uelis.

Composita uita, uirtutibus, integritate,

Candore ingenij, simplicitate, fide,

Atç ornementis alijs probitatis honestæ,

Sí potare cupis non sine laude merum.

Turpe foret, si tu cuperes uirtute sodales

Eximios, uitij̄s omnibus ipse scatens.

Sic itaq; instructus conuiuia lœta frequenta,

Totus agens id quod postulat ille locus,

Postulat ille locus tetricos haud fronte Catones,

Nec Curios toruo, crede, supercilio,

Nec fictæ sophiæ querulos rigidosc̄ magistros,

Nec ficta tristes relligione Numas,

Non fert ringentes: non fert à funere incestos

Ille locus: nec quos sollicitudo premit.

Aut dolor occultus, seu cæco uulnere cura,

Siue malum tacita quod graue mente latet.

Vult

L I B E R P R I M V S.

Vult hilares, comes, iucundos atq; lubentes,

Vrbanos, faciles, libera corda metu.

Accedas igitur conuiuia fronte serena,

Ostendens uultu nubila nulla tuo.

Si qua latens mœstum forsan te cura remordet,

Protinus in primo limine pone crucem,

Aut illam sumpto quam primum pelle Lyæo,

Certior est curis nulla medela mero.

Discussis illis renitentem exporrigefrontem,

Non benè cum lætis tristia corda sedent.

Non benè cum siccis sedet ebrius, nec benè siccus

Cum madidis inter pocula plena sedet.

Ad uultus alios debes effingere uultum,

Et facere, id quod lex præcipit illa uetus,

Ne tua symposium lætum frons turbida turbet,

Sed sit depulsa nube serena tibi.

Exhibeas temet dictis factisq; modestum,

Hæc te potantem regula prima decet.

Sis comis, facilis, placidus, iucundus, amoenus,

Obsequio, & morum commoditate placens,

Non quod palponis iubeam te munus obire,

Non petit hanc à te candida turba uicem.

Sed studijs iubeo te subseruire bibentum,

Vt quæcunq; placent his, placeantq; tibi.

Non aliud studium, non oblectatio per te

Quæsita inuitos cogat iniqua sequi.

Ipse sequens illos turbæ te dede sodali,

Sic aduersantis damna cauere potes.

d

Nulli

DE ARTE BIBENDI

Nulli te, quanquam melior, præponere certes,
Si non conuiuis uis odio esse tuis.
Sic tuus inuidia reperit sine culte Terenti
Et laudem & socios Pamphilus ille pares.
Seria de rebus si disceptatio surgit,
Ipse tuæ mentis non uelis esse tenax.
Stulticia est ingens præfractum pectus habere,
Qui sapit haud grauiter cesserit ille bonis.
Tu tamen apposito iam uini nectare, nulla
Seria conuiuis discutienda refer.
Cui sapere est animus, quærat ieuina sophorum
Tecta, ubi sit nimio sobrius ore loquax,
Bacchus non nimium querit sapientia uerba,
Quæ tradit miseris Stoica secta scholis.
Est operæ precium semper meminisse decori,
Et nosse exactè quid loca quæcç decet.
Quandocunq; sophi stolidè inter pocula certant,
Tunc ego me miserum morte perisse uelim.
Symposijs nullos studeas inferre libellos,
Hic ubi potandum est seria nulla legas.
Est præsentे mero sapere ostentatio uana,
Si sapi, & locus hic quæ cupit, illa sape.
Aut te omnem dicam semel amississe saporem,
Prænugis sapiunt, cui bona uina nihil.
Nulli os læde procax sorbenti pocula tecum.
Delectare iocis : sint sine dente ioci.
Si cupis urbanus, si uis festiuus haberi:
Et gaudes salibus : sint sine felle sales.

Innocuo

L I B E R & P R I M V S.

Innocuo innocuos profer sermone lepores,
Factua non ullum scommata salsa petant.
Argutum dictum, ueterem quam perdere amicum
Malis, quid scurra uanius esse potest?
Improba qui petulans dictoria iactat in omnes,
Perfricta nescit fronte pudere magis.
Propterea nunquam scurrilibus utere dictis,
Saepius his magnus dissociatur amor.
Nam si forte petes aliquem, petet ille uicissim
Tecum pari faciet scommate ridiculum.
Hinc ira, hinc odium, hinc ueteres perduntur amici,
Res opibus cunctis anteserenda Midæ.
Plurima materies urbanis ludere dictis
Quærenti, quibus & gratia maior inest,
Et nihil offensæ: Quid enim quando unus & alter
Riserit, & tactus scommate corde dolet?
Sunt lepidæ historiæ, sunt dulcia carmina uatum,
Haec in symposijs tum recitanda puta.
Hinc tibi sume sales, studeas hinc falsus haberi,
Vnde potest lesum se, puto, nemo queri.
Adde hinc depromptum, sicut Ledæa, falerno
Nepenthes, miseræ pharmaca tristitiae.
Qui uolet urbanis festiuè ludere dictis,
Cecropio decet hunc permaduisse sale.
Hoc si non fuerit tua crassa Minerua salita,
Maiori poteris laude silere bibens.
Promptius haud alio stolidæ uecordia mentis
Proditur, ac linguae garrulitate leui.

d ñ Pluri-

DE ARTE BIBENDI

Pluribus est sapientiae opinio parta tacendo,

Hanc amiserunt sutilitate sua.

Hæc dum uitaris habita ratione decori,

Nil foedum dictu prodat ab ore tuo.

Turpia uerba procax, obsecenaç nomina uita,

Noxia quæ teneris auribus esse solent.

Circunstant tenera iuuenes ætate ministri,

His offendiculo cur uelis esse libens?

Author ludendi nolim tuus esse libenter,

Dissoluit multas ludus amicitias,

Ira subit, deforme malum, lucrīç cupido,

Hæc facit ut cupiam uincere posse patrem.

Pocula grata mihi sunt nusquam ubi luditur, atq

Semper ubi fallax tessera iacta strepit.

Alea apud ueteres habita est infamis, apud nos

Vna sacerdotum gloria, cura, labor,
Gymnasium, studium, libri, noctesç diesç

Voluere continua quos didicere manu.

Quem facit inuisum derisa ciconia ludum,

Hic tibi cum primis arte cauendus erit.

Excitat hic sannas præcordia sæpe mouentes,

Pluraç quæ minimè uina quieta decent.

Sæpe graues peccant illo pueriliter, & se

Turpiter ostendunt, quos capit inde rubor.

Non quiuis patiens est risus atç cachinni,

Hic præter risum quid rogo ludus habet?

Porrò ubi symposium trahitur prolixius æquo,

Pugnaç ab alterno surgit oborta mero,

Lude,

L I B R P R I M V S.

Lude, superuacui quo uites pocula uini,
Et si nulla feres præmia, lude tamen.
Præstat iacturam modici fecisse peculi,
Quam tua damnosis membra grauasse cadis,
Materiam risus fugiens ludibria nullum
Fac facias, quemuis sed reuerenter habe.
Semper inoffenso sunt uina bibenda sodale,
Nulli tu prorsus sic odiosus eris,
Ridiculos gestus, pedores atq; cachinnos
Indecores, ructus, cuncta pudenda fuge.
Succidus haud esto sputator, siue screator,
Ne fias socijs nausea foeda tuis.
Si quis & ad cantum te prouocat, atq; rogabit
Exhilares cantu dulcia uina tuo,
Ne sis difficilis, cantorum more, rogatus,
Sed cane, si præsto Musica turba, libens.
Nec tibi sit potior ludus, post Musica Bacchum
Sola in symposijs debet habere locum,
Musica lætificat mœrentia pectora cantu,
Cum Bromio compar Musica numen habet,
Nectare lugentes Euan, hæc carmine mœsta
Mente melancholicos excitat atq; iuuat;
Ille calore replet, mouet hæc præcordia, & intrat
Cum uino harmoniæ uiscera tota sonus.
Ingentem dulci iungit sibi carmine laudem,
Fundere qui doctum nouit ab ore melos.
Phemius exemplo est magni cytharœdus Homeri,
Dum canit ingratis carmina culta procis.

d ij Solus

DE ARTE BIBENDI

Solus hic effugit fatum crudele, manusq;

Dulichias, placidæ nobilis arte lyræ.

Et, quem demirans coluit Phæatia tellus,

Demodocus, regis gloria magna sui.

Personat aurata cithara crinitus lopas,

Demulcens Tyrios Aeneadasq; uagos.

Istorum est tibi laus laudes imitanda sequenti,

Pulset Apollineam doctus ab arte lyram.

Alter dulcisonas percurrat pollice chordas,

Quas caua testudo, sic modo fertur, habet.

Fistula nec desit ueteres quæ dicat amores,

Et rude sylvestris carmen auena sonet.

Cuncta uenustatis delectamenta libenter

Exhibeas, tibi quæ Musa benigna dedit.

Hæc præceptorum breuiter sit summa meorum,

Quam dat amatori Naso poëta suo.

Si uox est, canta, si mollia brachia, salta,

Et quacunq; potes dote placere, place.

Vt tamen & finem noris imponere cantu

Est opus, haud omnes Musica quando iuuat.

Ne, sicut faciunt cantores, ipse boatu

Perpetuo obtundas arida labra siti.

Est saties somni, choreæ, cantus, & amoris,

Tædia sunt nimio nulla mouenda modo.

Esto propinat or comis, sine lite uicissim.

Ipse propinanti pocula redde uicem.

Quod nimium est blando ciuiliter ore recusa,

Si sapit, urgebit te magis ille nihil.

Durius

I LIBER PRIMVS.

Durius inuito cyathos obrudere noli.
Non sapiunt stomacho uina coacta meo.
Aequē est grande scelus nolentem cogere, quam si
Pellitur à gelida cum sitibundus aqua.
Vino iunguntur, uino soluuntur amici,
Nemo tuo iussu uina coacta bibat.
Quod satis est pota, modus est retinendus ubique,
Omnia finito sunt cohibenda modo.
Et quod amatorem docuit modo Naso citatus,
Illud idem memori condere mente uelis.
Certa tibi à nobis dabitur mensura bibendi,
Officium præstent mensæ pedesque suum.
Non ita terrigida potantem lege tenebo,
Ut mox peccantem plectere morte uelim.
Raro contingens noxa excusabilis esto,
Carpitur ebrietas quotidiana mihi.
Nonnunquam est nobis authore Platone bibendum,
Nec uitium ebrietas quælibet esse potest.
Temporibus festis iuuat indulgere falerno
Largius, inque tuis sancte Lyæe sacris.
Talia tu nobis coelestia dona dedisti,
Talia sunt aris dona ferenda tuis.
Hospitibus liceat uino præsentibus uti
Fusius, & uita liberiore frui.
Sidonius Bitias pleno se proluit auro
Impiger, hunc procerum turba sequuta fuit.
Ingeminant plausum Tyrus Troesque sequuntur,
Cur ego non plaudam quis prohibere uelit.

Maximus

DE ARTE BIBENDI

Maximus Aeacides uinum esse meratus optat

Legatos castris cum tenet ille suis.

Maioremq; iubet cratera reponere mensis,

Et conuiuarum pocula cuiq; sua.

A' uino sumpsit placandi exordia Vlysses,

Haud melius potuit sumere principium,
Et persuasisset, benè si potasset Achilles.

Non fuit Aeacidæ potio larga satis;

Magnanime Aeacida heroum fortissime salue,

Hæc benè subiunxit, cætera uerba male.

Haud equidem dapibus mensæ genialis egemus,

Nullius Argiui plus egquistis ope.

Sic Danaïs properata fuit facundia damno,

Longius ô stolidi Bacchus amandus erat.

Est locus & tempus minimè damnantia uinum

Flumine quod forsitan uberiore fluit.

Multa quoq; excusat precium uirtusq; bibentum,

Quare cum magnis pocula carpe crebro.

Sed tamen ipse stude semper meminisse decori,

Ne, quod non deceat, potor ineptus agas.

Vixibens sicut properato carmine dixi,

Non haurire merum, perdere, culpa, merū est.

Sunt fines rerum, certa est quoq; meta bibendi,

Si sapi hanc nunquam transgrediere sciens.

Ne ratio multo submersa uel obruta uino

Fluctuet in medijs naufraga facta cadis.

Aut nulla ebrietas, aut tanta sit, ut tibi curas

Eripiat, si qua est inter utrumq; nocet.

Hac

L I B E R P R I M U S.

Hac ipsa Liber de caussa est dictus Iachus,
Moesta quod à curis libera corda facit.
Quæ dixi lepidos inter seruanda sodales,
Hæc tibi cum sposo sunt retinenda magis:
Ne quando ad tædas genialia festa iugales
Non bene compositus tiro uocatus eas.
Et uictus uino petulanter plurima pecces,
Et risus fias omnibus ipse leuis:
Et sic contemptum incurras odiumq; honorum,
Quod tibi uix adimat deniq; uira sequens.
Maior honestatis ratio, atq; modestia maior,
Et pudor hic maior semper habendus erit.
Estq; uerecundo tibi castius ore loquendum,
Propter matronas uirgineumq; decus:
Propter coniuias senio & grauitate uerendos,
Qui mores, gestus, & tua uerba notant.
Ergo coenanti ciuiliter atq; bibenti
Præcipue ebrietas est fugienda tibi.
Ebrietas nulla nobis ratione probatur,
Sola iuuentutem sobria uita decet.
Proximus illius monstrat simulachra libellus,
Et uitia antiquo carmine scripta mihi.
Hoc uelut in speculo, facies turpissima quæ sit
Iugi lurco madens ebrietate, uide.
Quam uisam fugias uita aspernatus in omni,
Si laudem ueræ sobrietatis amas.
Prima mihi cepti pars est decursa laboris,
Restincta faciam uela secunda siti.

e Vincen

S. VINCENTII
OBSOPOEI LIBER SE-
CVNDVS DE ARTE BIBENDI.



Dsis Bacche pater genialis cōsitor uiae,
Et nobis ppera funde falerna manu.
Grandia nectareo madeant carchesia
succo,

Francica perpetuo flumine uina fluant.
Prolue uitiferos coelesti flumine colles,
Et dignare tui munus obire patris.
Nos largo tamen imbre tuo perfunde Lyæe,
In pelagus rapidas auferat Ister aquas.
Ne uelut æstiuis pereunt feruoribus herbæ,
Cum uehemens siccis Syrius urit agros.
Sic mea tardato pereant arenaria potu
Guttura, & exhaustis viribus ora siti.
Nec te formosi munus Ganymedis obisse
Tædeat, exemplum res habet ista suum.
Nectar & Ambrosiam quoties Vulcanus & Hebe
Apposuere Deis, semideisq; uiris?
Cum sis Vulcano potior, formosior Hebe,
Et te pro Phrygio si Ganymede probo,
Cur non esse uelis nobis Vulcanus & Hebe?
Et Ganymedæa fundere uina manu?
Sint igitur pleni calices, pateræq; , cadiq; ,
Sint plenæ trullæ, plena capedo mero,
Et phialæ uino tumeant; si rectius uti
Primus ego docui munere Bacche tuo.

Si

L I B E R I S E C V N D V S.

Si, licet indocto, celebro tua numina uersu,
Sedulus atq; libens si tua sacra colo.
Aeuo si nullo Bacchi delebile nomen
Laudibus æternis clara per astra fero.
Te melior superis non est Deus additus, ipse
Dites, formosos, ingenuosq; facis.
Tu facis audaces animos, domitasq; feroce,
Hoc sensit Pentheus, atq; Lycurgus atrox,
Ille quod afflictio cepta orgia rupit Accete,
Huius te contra uis quodd iniqua stetit.
Quando tuas sœuus Nysæo in uertice Nymphas
Terruit, & trepido fert tibi Thetis opem.
Hoc Indi sensere truces, nautæq; maligni,
Quos modo Carpætius per mare gurges alit.
Spe desperantes, marcentia membra uigore
Erigis, ignauos sedulitate moues.
Quamlibet informem commendas Bacche puellis,
Quamlibet afficti uulnera dura leuas.
Rore tuo reficis deflentes funera matres
Natorum, & lachrymas fistis lache mero.
Paupertatis onus graue tu portabile reddis,
Et facis ex humili splendida tecta casa.
Artes ipse doces, infanti plurima linguae
Suggeris è plenis uerba diserta cädis,
Ipse tuo dulces immittis munere somnos,
Ille tuus recreat corpora fessa liquor.
Ipse ter optatæ remoraris grata iuuentæ
Tempora, decrepitos nec finis esse senes.

e ñ Tu

DE ARTE BIBENDI

Tu potis es longæ spaciū transscribere uitæ,

Currentes potis es tu retinere dies.

Ipse facis turbam crebro saltare senilem,

Ipse etiam curuas ludere cogis anus.

Iungis amicitias, iungis Lenæe sodales,

Et tuus accedit frigida corda calor.

Ipse potes diuos in magno solus Olympo,

Solus & ipse homines exhilarare potes.

Denicq; uitifluo demortua corpora succo

Ne ualeam, si non uiuiscare queas.

Ferreus est quem non tantarum commoda rerum,

Et quem non animo Bacchica dona mouent.

Haud sic nostra stupent rigido præcordia ferro,

Vt moueat uirtus me tua tanta nihil.

Quare age chare parens magno cratere replete,

Suffice non lente uina bibenda mihi.

Bis dat, qui cito dat: bis gratia maior habenda est

Pro re non magna quæ datur empta prece.

Cernis ut exhausto stet crater inanis Iacho,

Porge coronati uina secunda cadi,

Quo ualeam partem reliquam superare laboris,

Atq; suo ceptos claudere fine libros:

Tiro bibe, & memori mea dicta reconde falerno,

Sobrius auriculas arrige quæso tuas.

Vt uideas quām sit turpis quām foeda uoluptas

Ebrietas: & quod sobria uita decus.

Inter Apellæas monumenta uetus tabellas,

Quas celebrat scriptis Græcia docta suis,

Eximiam

* L I B E R . S E C V N D V S.

Eximiam tabulam manus ingeniosa reliquit,

Vtræq; cui cedit, quas dedit illa, Venus,
Altera quæ nuda æquoreis emergit ab undis,

Altera quæ Cois non nisi cepta fuit.

Picturam referam, superat præstantia carmen,
Et uincit uersus ars preciosa meos.

Latè diffusus uiridi stat gramine campus,

Arboribus medio consitus hortus inest.

Quem circumducta uallauit sepe nitentem

Floribus irrigui culta per arua soli.

Multimoda est illic uernorum copia florum,

Passim quæ facilem pingit amanter humum,

Lilia sunt illic, est mollis amaracus illic,

Et cum sanguineis alba ligustra rosis,

Et cum purpureis uiolaria fusca rosetis:

Quid multis uerno cuncta colore nitent.

Non sic thure nouo spirat panchaia; non sic

Vernat odoriferis fertilis hybla rosis.

His communis honos campum uariabat & hortum

Vere nouo sicut florida rura solent,

Hortum præcipuo decorabat uinea cultu,

Atcq; in foecundis uitibus uua recens;

Vna dat ingressum sed ianua magna patentem,

Intrantes dextram quæ sita parte capit.

Exitus angusto stat limine parte sinistra,

Qua tendit raro semita trita pede,

Sentibus & dumis & acutis obruta spinis,

Prorsus & horrifcis aspera facta rubis.

e ij Dextera

DE ARTE BIBENDI

Dextera quod tendit per amcena uireta , rosasq;
Molliculas : plantis est uia trita crebris.
Maximus hac populi est nitidū cōcursus ad hortū,
Quam currunt iuuenes decrepitiq; senes.
Ante fores niūis stabant tentoria uelis ,
Frondosæ sedes , gramineiq; tori .
In quibus appositis genialibus ordine mensis
Discumbens epulis aduena turba uacat.
Conuiuæ roseis redimiti tempora fertis
Sumebant hilara pocula fronte meri.
Sedibus addiderat Nymphas ætate decentes ,
Quæ mihi sunt uisæ promere uina cadis ,
Et discubenti cyathis apponere turbæ ,
Et populum uarijs exhilarare modis.
Harum prima fuit uultu cultuq; modesto
SophroSYne præses illius una loci.
Haec aduentantes solio composta salutat ,
Altera per sedes collocat EuphroSYne ,
EuphroSYne formosa genas , & fronte serena
Collucens , plausus læticiaq; datrix .
Et reliquæ Charites per mollia prata ministræ
Conuiuas multa dexteritate tenent.
Comiter & populum uino inuitare uidentur ,
Palmis portantes aurea uasa suis .
Cernitur & populi iucunda bibentis imago
Per spondas uarijs exhilarata modis.
Cuius pars certant lucta in uiridante palestra ,
Pars ludunt disco: pars pede pulsat humum .

Sunt

L I B E R S E C V N D V S.

Sunt qui sermonem inter se conferre uidentur.

Et sunt qui iuncta carmina uoce canunt.

Musica quinetiam præsto instrumenta iacebant,

Tibia cum cythara, fistula, plectra, lyræ.

Quid multis? isti habitarunt agmine læto

Deliciae, lusus, ocia, cantus, amor,

Plurima mundicies frugali splendida luxu,

Quæ deceat magnos non fugienda Duces.

Diffusis animis generosi munere Bacchi

Et sumptis epulis pars abiēre domum.

Compositi, & læto testantes gaudia uultu

Atqe salutata præside Sophrosynæ.

Pars nondum contenta mero tendebat in hortum

Multum despecta præside Sophrosyne.

Cuius in introitu rubeis stat foemina buccis

Atqe saginata crapula dicta cute.

Hæc capite & geminis ad se uocat agmina palmis

Ostendens patulas officiosa fores.

Atqe ut totius facies tibi discolor horti

Nota sit, hæc paucis carmina pauca cape.

Præsidet in medio regali foemina cultu

Ebria foemineo cincta satellitio.

Pampineis fertis comptos ornata capillos,

Et manibus phialam, ceu bibilitura tenens.

Hanc iuxta famulæ pateras calicesqe gerentes,

Intranti turbæ uina bibenda ferunt.

Quarum prima mihi uisa est Dementia dici,

Ex habitu & uultu, proxima luxuria.

Tertia

DE ARTE BIBENDI

Tertia letheis obliuio nata sub undis

Attonitæ similis, quarta sedebat humi,
Quæ mihi pigrities langoris filia uisa est,

Stillantem cyathum semisopita tenens.

Quarta furoriferæ sociata parœmia rixæ

Vicina post hanc in statione stetit.

Postremam tenuit uecors insania sedem,

Cum rabie & iuncto fratre furore sibi.

Has circumsistunt ursi, uituli, atq; molossi,

Plurimus & longis auribus arcas equus.

Balantes & oues, hirci cum cercopithecis

Atq; lupi atq; boues, setigericq; sues.

Ex hominum facie mutati in monstra ferarum,

Postquam foeminea uina bibere manu.

Intrabant homines humana fronte, maneant

Tales humana deniq; fronte diu,

Gustato potu in formas abidere ferinas,

Pristina nec cuiquam mansit imago sua.

Tanquam cyrcaeis haurirent pocula succis,

Sic subito formis emicuere nouis.

Primum censebam cernendo talia Cyrcen,

Reginam in medio stare, nec illa fuit.

Sed fuit ebrietas Grais signata figuris,

παντων οινοπότων ή βασιλισσα μέθη.

At quæ multiplicum confusio foeda ferarum?

Quæ uitæ facies interioris erat?

Nam mixtum patulis uisæ sunt rictibus una

Omnes discordi uociferare sono.

Ex alia

L I B E R A S E C U N D V S.

Ex alia sed parte uomunt de gutture uinum

Vinosæ indicium simplicitatis oues.

Quæ egessere canes eadem mox frusta resorbent,

In coeno uoluunt dum sua terga sues,

Serpentesq; uomunt diros, uiridesq; lacertas,

Dispeream si te carmine ludo meo.

Vaccas & uitulos, ranas uomere atq; cicadas

Vidisses, gemmas octipedesq; capros.

Porrò asini libros, enses cum fustibus ursi,

Mures & cattos euomuere lupi.

Indecores saltus exercent cercopitheci,

Quorum pars maior florea serta gerunt.

Nec procul alternis laniant se dentibus ursi,

Et furiunt multa seditione lupi.

Quos furor & rabies in mutua uulnera trudunt,

Ceu geminas acies quæ fera bella gerunt.

Parte sed in læua qua cernitur exitus horti,

Et uia per modicas non bene trita fores,

In coeno in uomitu mixtorum foeda animantium,

Corpora confuso strata sopore iacent.

Partim uulneribus, partim quoq; sautia uino,

Tanquam cæforum mortua turba foret.

Quorum pars surgit discussio languida somno

Et repetit celeri lustra priora pede.

Pars nacta humanam faciem, sed pelle ferina

Tecta, petit tenues sobria facta fores

Hortoq; egreditur pedibus male firma, gra

Incerto, membris mutila turba suis.

D E C A R T E B I B E N D I

Qualem monticolarē speciem gessere bimembres,
Talis semiseræ turbæ abeuntis erat.
Egressis uetulæ laqueos & uincia gerentes
Ocurunt: captis inniciuntq; manus.
Et duro faciles castigant uerbere uinctos
Atq; renitentes fustibus tiscq; domant.
Quas int'ernon est in plures sœuior ulla
Quam prima articulis attenuata suis.
Pallida quæ partim, partim rubet ignea uultu,
Et nisi me fallunt omnia, febris erat.
Sœuit & in multos membris turgentibus una
Hydrops sulphurei crassa coloris anus.
Nec furit in paucos scabioso corpore psora,
Hos pulsans, illos improba crine trahens.
Vna sed ante alias sexcentis obsita pannis
Afficit omnino corpora nuda flagris.
Squalida paupertas cernentibus esse uidetur,
Mendici specie sordida macra fame:
Veliuolus curru cum letho uecta senectus,
Proterit & iuuenes, proterit axe senes.
Et plures aliæ, quarum mihi nomina non sunt
Cognita, captiuos sub iuga dura trahunt.
Talis Apelleæ tabulæ florentis imago
Et facies ueteri grammate picta fuit.
Quam tibi, non quali decuit depinximus, arte,
Vicit enim hæc uersus ingeniosa meos.
Nunc super est pictis quæ sit sententia formis
Carmine non longo discutienda mihi.

Conspic

Conspicis hac geminas prisca sub imagine uitas
 Et speculum siccæ leticiæ atq; methes.
 Læticiae est extræ locus, ebrietatis at intræ,
 Mansio uitigeri florida septa loci.
 Sed via per campum, quæ maxima dicit ad hortū.
 Copiæ innumeræ plebis cunctis eam;
 Significat cupide sectarier ocia cunctos,
 Adq; uoluptates mente animoq; rapi.
 Sed tamen hos seruare modum, & dilecedere Baccho
 Perfuctos, salua cum ratione domum.
 Illos ignorare modum tempusq; fruendi,
 Atq; ideo in septis lustra diurna sequi.
 Amissa donec penitus ratione bibones
 Videris in brutum degenerasse pecus.
 Nec prius absunt lustris ratione relictis,
 Quàm illos aut morbus durior inde fuget,
 Aut tandem nudos abigat penuria rerum,
 Semiferos duræ proïciendo fami,
 Hæc est ebrietas, cultoribus ista rependit.
 Dona suis: hosti uix satis apta dari.
 Ebrietas furiale malum, blandumq; uenenum,
 Mellitum exitium, dulcis amaricies.
 Ebrietas uitium deforme: & foeda uoluptas.
 Hanc fuge ceu pestem corporis atq; animi.
 Cui nunc sacra ferunt passim iuuenesq; senesq;
 Vesani pulsa sobrietate procul.
 Hoc mihi crede malo non est præsentius illum
 Quo citius perdis corpus & ingenium.

f n Nullius

DE ARTE BIBENDI

Nullius exemplo quamuis moueare potentis

Quem turpi affectus labē sequare ducem.

Non aliud uitium nunc magnas possidet aulas,

Quamuis nunc uitij omnibus aula scatet;

Sic, uelut ebrietas, quae summam prendidit arcem,

Perpetua ebrietas aulica uita modo est.

Nec gratus tumida seruit modo sobrius aula

Quæstor, eques, consul, mulio, scriba, coquus.

Cernis thyrsegeros passim regnare merones,

Affidua stillant ebrietate duces.

Si poteris bone tiro elephanta æquare bibendo,

Aulicus ex aulis præmia digna feres,

Non alio studio nunc ordo tenetur equestris,

Quisq; cupit multo nobilis esse mero.

Quæ rogo nunc alia fatuat uesania ciues?

Ebrietas omni regnat in urbe potens.

Vinosos seruos festa olim luce Lacones

Spectandos & natis exhibuere suis.

Quo detestari puerilis disceret ætas,

Hoc uitij morum turpia probra uidens.

Nunc ipsi patres seruorum exempla sequuntur,

Suntq; suis natis ebrietate duces.

Sed quid teatatur nisi Bacchanalia uulgus?

Ebria uinosum pocula uulgus amat,

Ebrietas totò breuiter non cessat in orbe,

Sunt passim bibulis omnia plena uiris,

Hæc illa est lato tritissima semita calle

Vadere continuè quam cupit omnis homo.

Est in

L I B E R S E C V N D V S.

Est in contemptu frugalis uita, libido.

Potandi cunctos prodigiosa tenet,

Ducitur ebrietas nunc uirtus maxima: nemo

Carpentem hanc siccō rebitur ore loqui.

Quæritur hac celebris nunc cunctis gloria: cunctis

Quæritur hac nomen, gratia, fama, fauor.

Nemo bonus nunc est, nec strenuus esse uidetur,

Plurima ni poterit perdere uina bibax.

Nullus eris si sunt ignauæ ad pocula uiires,

Plurima ni sicces pocula, nullus eris.

Quo circa flexos oculos intendere turbæ

Qui uult exemplo fallitur ille malo.

Nec degustatam dulci medicamine lotum

Deseret ut loci ductor Vlysse tui.

Tetrahat exemplum nullum blandissima Siren,

Si salua ē uino puppe natare cupis,

Contemplare precor foedos puer optime mores

Et pone ante oculos turpia quæcū tuos,

Quæ bibuli amissa peccant ratione, uidebis

Hac facie nullum foedius esse chaos.

Mutatos homines dices in monstra ferarum

Horrida cyrcaeis esse ueneficijs.

Tollere clamorem cogeris imagine uisa

Symposij, & motus dicere uoce truci.

Quæ uos uita tenet plusquam pecuina bibofit?

Quæ furiæ quæso pectora ueltra mouent?

Hoc non est gaudere, sed insanire bibones,

Hoc equidem est uinum perdere, non bibere.

D E A R T E B I B E N D I

Vita uoluptati quibus est turpissima : quicq;
Virtutem solidam nomen inane putant,
Et famæ titulum uilem melioris habentes.
Sectantur uestri turpia lustra gregis.
Exiit hinc hominem qui talem uiuere uitam
Sustinet, & sensus perdidit ille suos.
Nullum sic brutum, neq; bestia sic babit ulla:
Mensuram potus nam pecus omne tenet.
Ergo solus homo iam bruto turpior omni
Potandi nullum uouit habere modum :
Quem Deus ipse sua formauit imagine ; quemq;
Egregijs animi dotibus excoluit.
Ille feras omnes, animalia cuncta pudendus
Exuperat foeda, bestia spurca, gula.
At non ille sator iucundæ uitis in orbem
Sparsit in hoc placidi munera grata meri.
Non iubet eximj;s temerè nos rebus abuti,
Dummodo sedandæ sunt data uina siti,
Non prohibet iustum sumendi nectaris usum,
Sed neq; cum genio bella gerenda docet.
Assidua grauiter fert ebrietate madentes,
Ebrietas uitio continuata datur.
Sed neq; mox properans, quoties sitientius æquo
Hauseris, iratus currit ad arma pater.
Quippe potest fieri ut Bacchi dulcedine captus,
Imponant animo uina dolosa tuo.
Errasti imprudens : facit hoc placabile crimen,
Culpa frequens digna est crimine, rara uacat,

Crebri

L I B E R S E C V N D V S.

Crebri supplicium lapsus poenamq; merentur,
Ebrietas poena est afficienda frequens;
Qualia nunc agitant fermè conuiuia nostri,
In quibus ebrietas arce suprema sedet.
Nemo contentè, nemo frugaliter istic
Bacchi concessò pocula more colit.
Respice conuiuas ab amico forte uocatos,
Comperies equidem me tibi uera loqui.
Nemo sepositis diffusis nectare curis
Iucundis quærit soluere corda iocis,
Nemo sophrosynen dignatur honore modestam.
Nemo respectum sobrietatis habet,
Qui non æquali cursu contendat in hortum,
Vix nunc in toto cernier orbe datur.
Sed nunc bella uide patriæ conuiuia nostræ,
Cur procul exemplum lector amice petas?
In quibus ut madidos hospes dimittat amicos,
Hoc studet, hoc cunctis nititur ille modis.
Protinus infuso certant pugnare Lyeo,
Primum uno, gemino mox calice, inde tribus.
Pocula siccantur, cyathi uertuntur in orbem,
Potatur strepitù concutiente domum.
Et uetus atq; nouum uario craterे falernum
Promitur, hic ueteri prouocat, ille nouo.
Ex alia rubei ueniunt de parte coloris
Cuiuis perspicuo uina bibenda uitro.
Iam quis factitia atq; exotica uina recenseret?
Quæ saltem ingluuies pocula profunda uorat.

Accedunt

DE ARTE BIBENDI

Accedunt madidæ Cereris coniuncta Lyæo

Pocula : non æquis , credo , reperta Deis .
Mox abaci uino stillant , & scamna lauantur ,

Perfusumq; babit plurima uina solum .

De mensis currunt crescentia flumina riuis ,

Haud uisi raro sunt mihi nare cade .

Tantus adest luxus , tanta est profusio uini ,

Tot submersa mero pocula plena fluunt .

Non mouet hæc quenquam facies turpissima , dicit
Hic hic Germani discubuere boni .

Sed postquam indomitum uicit præcordia uinum ,

Et natat in madido lubrica lingua loco ,

Quam tunc spurciem , quæ tunc obsecena , pudore
Abstergo , profert ebria turba precor ?

Hic nullus uerbis pudor , aut reuerentia mensæ est ,

Hic ratio castæ nulla pudicitiæ .

Hic nusquam teneræ puerorum parcitur auri ,

Dicuntur uitæ noxia uerba piæ .

Promitur obsecena Milesia fabula lingua ,

Historiæ molles , turpia furta , Vénus .

Iactatur madido Ficulinus in ore Priapus .

Narrantur Cypriæ prælia spurca Deæ .

Turpia ridiculæ cantantur carmina Musæ ,

Et mera postremò mensa uenena uomit .

Ecce tibi porcos serpentibus atq; lacertis

Plenos , serpentum virus ab ore uomunt .

Vipera tam præsens , nec habet Salamādra uenenū ,

Non anguis , Diplas , Bufo , Lacerta , Draco :

Noxia

L I B E R S E C V N D V S.

Noxia letiferi haud est sic facies Basilisci,
Lurida non adeo sic aconita nocent,
Non insomnifica tantus reor aspide uires,
Nec tantum immundus stellio uirus habet,
Quantum habet illorum turpissima mensa ueneni,
Et quantum illorum perdita lingua nocet.
Quilibet urbanus lepido studet ore uideri,
Vult quisq; hic alium uincere spurcitia.
Et quantum ante mero , tantum nunc turpiter ore
Obscenō certant uerba pudenda loqui.
Adde quod innumeri retegan̄ arcana gulones,
Quæ prius in tacito delituere sinu.
Deposito referunt in apertum condita fuco,
Et sibimet fraudi lingua grauata mero est.
Quid? quod & infreni uinosis excidit ore
Improba per iugulum uox reditura suum.
Fertur uera nimis iactata parcemā uulgo,
Vīna gubernaculo non moderata carent.
Mensuram uini superans & mentis & oris
Crede, potens non est amplius ille sui.
Sobrius occulte tacito quæ corde premebat
Hæc stolido cunctis ebrius ore refert.
Nam sicco quæ corde latent, hæcebria lingua
Effert, atq; facit cuncta sepulta palam.
Dedecus ipsa ūuum, sua cunctis ulcera pandit,
Quæ bene celarat dissimulata prius.
Hi proprio indicio produntur & infamantur,
Atq; ideo mures turpiter ore uomunt.

DE ARTE BIBENDI

Sunt qui ridiculè sacra de lege frequenter

Dummodo iam poti dissenseruisse solent.

Scrutantur rerum mysteria cuncta sacrarum,

Qua iuuet alma pios utilitate fides.

Quid lex, quid Christus, qd gratia præstitit: & quæ

Possit homo arbitrio lege iubente suo,

Quos Deus æternæ præsciuerit undicq; uitæ,

Diracq; sub stygio quos loue poena manet.

Hic iuero bibulas inter discordia turbas

Exoritur, pugnam quæ parit orta grauem.

De sacris quoties profertur quaestio rebus

Dum negat ingenio cedere quisq; suo.

Omnia diuinæ quamuis abscondita legis

Ceu dgitos pugnant noscere posse suos.

Qua re prostituunt uentres mysteria Christi,

Quæ saltem siccis sunt meditanda uiris.

O compotores foedum pecus, ut mihi saepe

Mouerunt mollem iurgia uestra iocum.

Nam dum ridicula pugna certatis asoti

Num bona adhuc opera sint facienda quoq;

Cernimus haud ullum fieri laudabile factum,

Per uos quod puræ sit bonitatis opus.

Quam quod sat fidi (si Dijs placet) estis amicis,

Dum miseros calices uestra popina uorat.

Annuitis facile ut uobis sorbentibus unum

Proximus impigre pocula dena bibat:

Omnis in hoc uestræ pugnæ lis cardine pendet,

Quod caro sit iussa non maceranda fame.

Pluribus

L I B E R . S E C V N D V S.

Pluribus haec uerbis haud argumenta bibones

Confirmanr , factis fortius illa probant.

Iussi ieiunant nunquam , nec sponte dometur

Vt caro , ieiuno uiuere uentre student.

Quippe pigrum semper replent abdomine uentre

Addicti uino perpetuæç gulæ.

Et quæ præcipue capit admiratio multos

Non hos illa fames , non premit illa sitis.

Quo tamen hosce minus uexat sitis abrodiætos

Hoc arcus instar largius usq; bibunt.

Dolia sunt , credo , in quæ uasta Daneia turba

Ne quicquam refugas anxia fundit aquas.

Quo plus nanc meri crebro in caua guttura fundit

Hoc magis atq; magis pocula crebra petunt.

Tales immundos Epicuri de grege porcos

Efficiunt tantum plurima uina pios .

Inde uomì à rudibus quis demiretur asellis

In tabula nunquam quos didicere libros ?

Interea crescunt securæ tempora uitæ,

Iraç contempti non bene spreta Dei .

Cœlorum dominum bibulorum nemo requirit ,

Irati nemo numina magna timet.

Fabula sunt superi , stygij sunt fabula manes ,

Fabula sunt bibulis alta barathra uiris .

Nec , quæ uinosis cœlestia regna negarit ,

Vox Pauli bibulos dura minaxç mouet.

Quis uero memoret quām dent se turpiter omnes ,

Hic ubi iam largis incaluere cadis.

DE ARTE BIBENDI

Promptius expediam quot mōstris mūdus abūdet,
Aut quot alat uarias Africa terra feras.
Ioania undisoni quo pulsent littora fluctus
Sæuus ubi boreas flatibus æquor agit,
Aut quot Erythræo nascantur in æquore conchæ,
Aut quot odoratis florereat Hybla rosis.
Percurrām citius uitia execranda Papatus,
Quæ nullus longa scriberet iliade.
Qui nam lege sua totum deceperit orbem,
Christi peruertens omnia uerba Dei.
Qualibus ille dolis impostor & artibus usus
Congessit raptas totius orbis opes.
Quotq; suis bullis animas demiserit Orco
Romanus præsul sanctulus ille pater.
Est qui perfusus uino lachrymatur, & est qui
Nullum ridendi nouit habere modum.
Alter opes iactat, formosæ coniugis alter
Prædicat & speciem, & pignora nata domi.
Tertius Irus egens, quanquam ditissimus æris,
Deflet egestatis plurima damna suæ.
Audaces animos gerit inter pocula miles,
Sobrius aspecto cominus hoste fugit.
Pluribus exhausto crescit sapientia uino,
Fitq; Solon subito qui fuit ante Midas.
Hic furit, ille boat, cacat alter, perbibit alter,
Ille quod ingessit turpiter inde uomit.
A' uomitu stomachum properat replere grauatum,
Mox iterum & famulos fundere uina iubet.
Sæpe

L I B E R S E C V N D V S.

Sæpe etiam, ô turpes, quicquid uomuere resorbēt,
Ut canis egestos colligit ore cibos.
Aut aliquid foedi & erudi, quod nauseat alter,
Sæpe uorant fortes ebrietate uiri,
Vitreæ uasa, choas, nec sunt à morsibus illis
In caueis tutæ, quæ modulantur, aues.
Ille refert Cynicos nudis saltare pudendis
Non dubitans, quiddam turpius alter agit,
Quintus adit rixas, & lingua pugnat amara,
Illi dens madido pocula fracta solo,
Hic foedè ruet, somno facet ille profundo,
Stertens oppletus sordibus & uomitu,
Non pauci quærunt amissa ueste lutoq;
Foedati sera repere nocte domum.
Plures ad proprios, ceu sarcina plumbea, nidos
Portantur: cantat tertius ante fores,
Factus amator iners, dicas, mihi crede, luporum
Impulsos rabie sic ululare greges.
Hæc illa est bibulæ turpis comoedia uitæ,
Cuius ubiq; uiris plena theatra uides.
Illa mihi superest actu claudenda supremo,
Ut constet numeris fabula tota suis.
Nullus in hac patitur uacuus spectator haberi.
Histrio sed quiuis feruidus esse cupit.
Nec grauat hic proceres uilis persona Dromonis,
Nec magnos mimos hic pudet esse Duces.
Quid facerent plebes, procerum sorbente corona?
Aemula sunt capiti cætera membra suo.

g ij Et

DE ARTE BIBENDI

Etcum de tali nisi parta laude theatro

Quærat adhuc firmo nullus abire pede.

Nemo tamen scenæ curat seruire decenter,

Ebibulis populo nemo placere studet,

Turpia cordatis crebo spectacula præbent,

Et pueris risum sæpe mouere solent,

Vel cum per medias gressu titubante plateas

Incedit nimio turba grauata mero.

Vel cum nocturnis sunt edita prælia lustris,

Mane per insanum commemoranda forum,

Vel cum magniloqua se iactant uoce bibones,

Ille quot hesterna pocula nocte babit,

Alter quot solus socios Baccho duce uitios

Compulerit somno tradere membra graui.

Ille quot in somnis tractas per pocula noctes

Egerit assidue labra rigante mero.

Alter ridenti iurat se uoce dies per

Iam multos sanum non habuisse caput,

Ille quot amissa noctes ratione bibendo

Sterterit in foeda forte relictus hara.

Est qui de uicto se iactitet hospite, decqz

Tota deuicta sorbitione domo.

Non licet à bibulis alios audire triumphos,

Laude uehunt hausti fixa trumphæa meri.

Porrò quid hæc aliud turpis iactantia signat,

(Si cupimus recta rem reputare uia)

Quam semel amissis rationis sensibus, omnes

In brutum bibulos degenerasse pecus.

Nemo

L I B E R . S E C V N D V S .

Nemo sperabit benefanæ mentis honestum

Ere se turpi sumere posse decus.

Nec quenquam credo (nisi sit sceleratus & excors)

Turpiter ob uitium turpe placere sibi.

Fœdus est aliquid, seu turpius ebrietate?

Quemlibet immemorem quæ facit esse sui.

Quæ parit effrontes, & corda oblita pudoris

Cogit in absurdum currere quodcūq; nefas.

Quæcūq; sui quoquis sublato iure potentes

Dēscit, imbelles inualidoscūq; parans.

Vt iam non titubans pes, nō mens, linguaq; possint

Amplius officium lector obire suum,

Obruitur grauis immodico sapientia uino,

Franguntur multo fortia corda mero.

Mænades insanæ Bacchum comitantur inertem,

Has nisi lurcones ebria monstra puta.

Cunctarum tollit Bacchus discrimina rerum,

Atcūq; hominem prorsus non sinit esse hominem.

Sed tamen hinc claræ uenantur præmia famæ,

Quærendi hinc bibulos nominis ardor habet,

Potorem inuictum dici laus maior habetur,

Quām dici hectoreis ausibus esse parem.

Hanc auidè famam properant contingere cuncti

Laudis: & hanc alij præripuisse iuuat.

Si uenit ē nigro memorabile nomine nomen,

Si uenit ē uicij candida fama malis,

Si parit æternam fugienda infamia laudem,

Turpia si præstant lustra perenne decus,

Quis

DE ARTE BIBENDI

Quis non perpetuo uicturos tempore speret
Infames bibulos dulcis lache tuos.

At non infami subsurgit gloria fama,

Turpibus è rebus gloria nulla uenit.

Est ad uirtutem tenuis perç ardua callis,

Hoc septum duris sentibus horret iter.

Hinc ille assequitur celebris præconia famæ

Qui tolerat casus laudis amore graues.

Nou uino, uirtus sudore paranda, paratur,

Et famæ crescit sedulitate decus,

Sed quæ sunt tandem illius præconia laudis?

O bibule aut famæ portio quanta bonæ?

Si tua multibibæ uesania foeda coronæ

Laudatur, sanis uituperata uiris.

Scilicet hinc oritur clarum & laudabile nomen

Si iugi madeas plena lagæna mero?

Aut si nemo tuo uasto cum gutture iustum

Certamen uini potor inire potest?

Hoc esset barathrū, & uastam superare charybdim,

Aut Irim bibulam uincere uelle sibi.

Exuis humanos sensus, & bestia factus

Vt paucis placeas turpia quæç facis:
De grege uinoso partes fert ille priores,

Et caput est bibuli famaç prima chorū,

Quem norunt omnes lenones, scorta, bibones,

Caupones, inimi, balnea cuncta, coqui,

Lusores, scurræ, lenæ, uetulæ, parasiti,

Mensipetæ, serui, sordida lustra, proci:

Addē

L I B E R . S E C V N D V S.

Adde ambubaias, tonsores, adde Gnathones,
Et reliquum luxus desidiæç gregem.
Egregiam uero laudem & spolia ampla reportas
Ista tuam laudat si mala turba gulam.
Cui dum ridiculè conaris amice probari
Diceris infamis perditus atç nepos.
Dumç his obsequeris uilis tibi uita uidetur,
Projçcis hanc tanquam putrida poma forent.
Inç tuum peccas grauiter turpissime corpus,
O gulo præpropera mox periture nece.
Nam dum plura nepos quām par est uina liguris,
Ipse ferus certè sis homicida tui.
Iupiter immodicis quoç suffocat imbribus arua,
Imber alit siccōs, sed moderatus, agros.
Multus obest uini : prodest moderatior usus.
Hunc sapiens, illum non bene sanus amat.
Accelerat uarios Sybaritica uita dolores,
Illa subit mōrbos multiplicesç cruces.
Amittunt habilem uino eneruata uigorem
Membra, malis corpus fluxibus omne dolet.
Hinc tremuli capit is uertigo odiosa resurgit,
Hinc ille assidue pallor in ore sedet.
Inde manus tremulae, digitisç rigore retorti,
Vincit ubi articulos sœua chiragra leues.
Hinc torpent nerui sine sensu sœpe iacentes,
Stringit & incertos inde podagra pedes,
Hinc oculi fluidi, lippi, semperç rubentes,
Hinc male corrupto tormina uentre ruunt.

h Hinc

DE ARTE BIBENDI

Hinc utraq sonat stridens tinnitus ab aure,

Ceu sonat in duris rauca cicada rubis.

Hinc q̄q̄ multiplices ueniūt denso agmine febres,

Hinc psoræ, hinc scabies, hinc q̄q̄ dirus hydrops

Hinc lubitæ mortes, atq̄ intestata senectus,

Funeraç in gelido mane reperta toro.

Sunt hinc nocturno furiales tempore somni,

Hinc multis spectris irrequia quies.

Hinc ille est olidi deterrimus halitus oris,

Fœteat ut crebro spurca cloaca minus.

Deniq̄ totius corruptio corporis inde

Imminet exitio proxima multiplici.

Hæc tua si uiridis non sentit damna iuuentus,

Hoc grauiora tibi sunt toleranda seni.

Sinon ante diem te funere mergit acerbo

Ebrietas, plenis immoderata cadis.

Omnino bibulam sequitur morbosa iuuentam.

Subiecta innumeris ante senecta malis,

Semper habet comitem stolida hæc uesania pœnā,

Sunt morbi immodicæ præmia luxuriæ.

Atq̄ hæc est sero egredientibus obuia turba,

Hæc uetulæ bibulos lichnobiosq̄ manent.

Tanti quod mentem mutet constare uidemus

Vnde solet rabies, unde uenire furor.

Vnde tot afflictæ uenient dispendia uitæ,

Damnaq̄ pœonia non medicanda manu.

Post, ubi corruptum est nimio iam corpus lacho,

Et dotes animi disperiēre tui.

Obruit

L I B E R S E C V N D V S.

Obruit & bibulos cunctarum obliuio rerum

Partem animi memorem plurima uina necant.

Non secus ac stygij lethaea fluminis unda

Tollitur è memori pectore uita prior.

Vt taceam rixas, lites, conuictia, cædes

Multiplices factas ebrietate duce.

Non opus est rebus manifestis addere testes,

Sed tamen è multis pauca referre uolo.

Et quid ego longè peregrina exempla requiram?

Fare age quid nuper perdidit agricolas?

Ebrìa seditio uillas uastauit & agros

Igne, furore, manu, sanguine, cæde, nece.

Inuictum Hannibalem campani pocula luxus,

Vincibilem latio sola dedere Duci.

Magnus Alexander uino furiosus amice

Infecit mensam sanguine Clyte tuo.

Quo scelere imperio Vitellius excidit, unco

Tractus delitijs, sanguine, pene, mero

Non alia extinxit sceleratum uita Neronem,

Sectatum mores Sardanapale tuos.

Quid memorem plures uicio ebrietatis auito

De solio pulsos, imperioq; Duces?

Excute Romanas annales, excute nostros,

Si magis exactè talia nosse cupis.

Si quid habet uatum priscorum fabula ueri,

Et multo Lapithæ succubuere mero.

Si non Dulichios utres Polypheme bibisses,

Seruasses oculum sic Polypheme tuum.

DE ARTE BIBENDI

Iudith Holofernem necat ebrietate sepultum,

Id quod lectorem Biblia sacra docent.

Ebrietate, trahit quæ cuncta nefaria secum

Crimina, cum Sodoma uersa Gomorra iacet,

Quot iuuenes nostro seculo satis indole clara

His pessum uitijis ebrietatis eunt?

Viribus exhaustis exhaustis & illa crumenam:

Herculeos census conterit ebrietas.

Thesauros Croesi ebrietas Crassicq; uoraret;

Hacres, hac patriæ dilapidantur, opes.

Obsita panniculis comes ebrietatis egestas

Fertur, egestatis nigra lauerna comes.

Hæc te post nudum compellet ad improba facta,

Vtq; pares numos suggesteret arte mala.

Artibus exitium lucrabere turpe malignis,

Hic tandem finis ebrietatis erit.

Semper enim uenter solitis uult rebus inanis

Distendi, fæstos semper habere dies.

Ocia uenter amat, uult plenæ pocula mensæ,

Delicias, luxum, lauticiasq; cupit.

Iam nisi diuinitæ Lydi, aut opulentia Crassi

Adsit, non poteris ocia lenta sequi.

Diuinitæ ignauis sunt nullæ: ignauia, si quas

Sedulitas peperit, pigra profundit opes.

Et tamen assidua magis assuetudine crescit.

Potandi per se magna libido satis.

Hanc potes illæsus nunquam deponere: nunquam

Hanc degustatam linquere tiro potes,

Non

Non bene gustatur tenero, mihi crede palato
Esca uoluptatis perfidiosa malea.

Quod semel haud facilis sit degustata relictu,
Pellitur à pingui non bene pelle canis.

Aegrè Ithacus potuit socios auellere Loto,
Quam modicè primis uix tetigere labris.

Dulce uoluptatis Lotus blandumq; uenenum,
Quod degustatum linquere nemo potest.

Interea nemo quem cura domestica, quemq;
Cum pueris uxor sollicitaret, erit.

Quæ, dum tu potas, dum plurima pocula sorbes,
Dum genio indulges, spongia plena, tuo,

Nuda sedens miserè deserta luget in aula,
Esurit & uacuum fortiter ante focum.

Sive pudicitiam uendit, sic cogite gestas,
Et formam in quæstu flebilis uxor habet.

Tu quoq; fortem alio flagras tunc moechus ab igne,
Semper ut est Baccho foeda libido comes.

Sic facis uxorem lecti uiolare pudici
Ieiunam sancta, foedera iuncta, fide.

Aut illi pugnis durissima coena paratur,
Et petit ingratum fuste cibata torum,

Nullius ebrietas, non si Cicerone patrono
Sit rea sub Baccho iudice, causa boni est.

Quam uaga mēs, & uita parum comitatur honesta,
Os petulans, animus, lubrica lingua, leuis,

Contemptus superum, rerum mala cura bonarum,
Perditio famæ, turpis abusus opum.

DE ARTE BIBENDI

Ad mala proclivis propensio quæcꝝ patrandi
Veloceſ uitium ſemper in omne pedes.
Ergo Methe cum ſit tam foeda nocenſcꝝ uoluptas,
Vnde uenit bibuliſ pefſis & atra lues.
Quid iuuat hac iuuenes animi corrumpere dotes?
Quid iuuat hac corpus perdere quæſo male?
Quid iuuat hac florem teneræ extinxiffe iuuentæ?
Quæ per ſe ſatis eſt ægra, caduca, breuis.
Quin emenda, tali iam tempore, uita
Consulis ò melius culta iuuenta tibi.
Incumbens ſtudijs doctos euolue libellos,
Et tibi linguarum nobile iunge decus
Quas tibi iam pleno ſuffundit copia cornu
Quæ decorat noſtras Attica Muſa plagas.
Iſta ad frugalem tam ſecula docta diætam
Quamuis corruptum te reuocare queant.
Floret enim nunc ipſa ſuis iam Muſa Camœniſ,
Iam paſſim calebres cernis in orbe uiros.
Hos ad honestatem comites tibi ſume ſequendam,
Pocula cum foediſ ſumere foeda caue.
Nullus enim patiniſ aut uiño emerget, ut uſtos
Post cineres uolitet docta per ora uirum
Deniqꝝ confeſſos precioſi temporis annos
Transigere haud temerè ſic ſine fruge uelis.
Atqꝝ domi trepidos uifpensa mente parentes
Fallas abſumpto tempore & ære rudis.
Neuelis ignem igni, neclammis addere flamas,
Temperet indomitum ſobria Lympha merum.

Hæc

L I B R S E C V N D V S.

Hæc uia potandi monstratur origine Bacchii

Fulmine combusta de genitrice sati.

Igneus urentes iacet in præcordia flamas,

Atq; mero usq; meras ingerit ille faces.

His si nolueris & tu calefactus aduri,

Frigida feruentes diluat unda cados.

Igni uomo Bacchum flagrantem fulmine Nymphæ

Seruarunt liquidis (igne perisset) aquis.

Ex hoc Nymphaeum Baccho coniunctio grata est,

Hanc nisi secteris, quod bibis, ignis erit.

FINIS.

VINCENTII
OBSOPOEI LIBER TER-
TIVS DE ARTE BIBENDI.



Actenus ornatae frugalia pocula uitæ
Diximus, & laudes sobria uitæ tuas.
Addidimus foedos turpissima monstra
bibones,
Et mala damnosæ non numeranda methes.
Nūc tua Bacche canam, modo des in carmina uires,
Prælia largifluo perficienda mero,
Inuictasq; acies, & pectora nescia mergi
Quamlibet immodicis debilitata cadis.
Mitte pater caput huc, placataq; cornua uertas
Et des ingenio uela secunda meo.
Da generosa prius sitibundis uina camœnis,
Post potum melius carmina mille fluent.
Arma manu capias, animisq; uirilibus audax
Pugnæ tiro rudis me duce bella subi.
Pro galea capiti molles impone coronas,
Stillet odoratæ rore capillus aquæ.
Amphora sit thorax, clypeus sit uasta capedo,
Sit tibi pro rigido uitreus ense calix.
Pro funda cyathum, graciles pro cuspide thyrso
Sume, tubæ subeat sicca lagæna uicem.
Mauortis miles Vulcania comparet arma,
Bacchi militiam talia tela decent.

Sic

L I B E R T E R T I V S .

Sic libet atq; iuuat uini certamen inire .

Claraçp suffuso ferre trophæa mero .

Non alijs telis orientem uicit & Indos ,

Bacchus non alijs omnia regna domat ,

Ergo cui est uirtus , animusç in pectore præsens ,

Si quem uina iuuant , & sitis ardor habet ,

Adsit , & impigris attollat pocula palmis ,

Victorem pugnæ præmia digna manent .

Nemo uelit mecum tali sudare palæstra ,

Qui non actutum potus abire cupit .

Nec quenquam fugio , non ipsum crede Bonosum ,

Non Firmum : quamuis Cæsar uterçp fuit .

Si quis nos saltem dapibusç meroçp benignè

Acciperet , letho pocula multa darem .

Quas strages uini quām possis cernere cladem ,

Talia nos bibulos si quis ad arma uocet ?

Si me irriterit etiam in certamina Bacchum ,

(Parce pater nobis ter uenerande) petam .

Audeo uinoso pugnax contendere Como ,

Non superos timeo , non homines timeo .

Sin escis ego sum memorabilis ille Philænus ,

Cui uini palmam Parthia tota dedit .

Nobis cedit & ipse Tricongius ille nouellus ,

Perpetua Insubriæ fama decusç suæ .

Quē stupet ipsa Methè fugiensç timensç bibente ,

Quem Silenus amat , Mænades & Satyri .

Artem igitur discat me præceptore bibendi ,

Si quis potando uincere quosç cupit

D E A R T E B I B E N D I

Pelidæ Phœnix, ego sum præceptor lachi:

Hanc nullus præ me tradidit artis opem.

Dixeris hic forsan, quid agis uinose magister?

Cur tua præteritum Musa retexit opus?

Cur tua nunc uersis reuocat Palinodia uerbis

Dogmata iussa pia sobrietate colis?

Non sunt hæc sanæ pugnantia dicta camœnæ,

Sic titubat largo lingua grauata mero.

Sobria perpetuo constat sibi Musa, nec unq;

Diffona discordi carmina uoce canit.

Laudas astrictæ frugalia pocula mensæ,

Et uitam institui sobrietate doces.

Nunc inquis uini certamen inire laboreo,

Actutum ueniat potus abire uolens.

Quemlibet ultrò etiam iactanti uoce lacefisis,

Atq; parem censes non tibi posse dari.

Quod si cuncta sui iactantia turpis habetur,

Qua nūc te iactas fronte superbe Thraso:

Non ego scripta prius temerè præcepta recanto,

Nec mea præteritum Musa retexit opus.

Quam norit quiuis illa se iactet in arte,

Quisq; sibi placeat, doctus in arte sua.

Iure supebiuuit fandi uirtute patronus

Arpinas, Latj gloria summa fori.

Hippocrati iustas tollunt medicamina crista,

Nec falsam laudem uendicat arte sibi.

Cur non eximius semet iactaret Apelles?

Cum plures docta uicerit ipse manu.

Ascræus

L I B E R T E R T I V S .

Ascræus uates merita se prædicat arte,
Qua docuit quo sint rura colenda modo.
Arte sua turget iuris legumicꝝ peritus,
Arte sua placuit Naso poeta sibi.
Ergo mei fuero uanus iactator honoris,
Si illa qua ualeo glorior arte mea?
Quo nam iure mihi communia iura negentur?
Hoc alijſ licuit, cur minus ergo mihi?
Non ego te iubeo frugalem ponere uitam,
Cultor ut insanæ iure probere Methes.
Optima quæ uisa est nostræ sententia menti
Audisti, hanc animo, hanc mordicus ore tene.
Nunquam plura bibas quam corporis exigit usus,
Et frugi curam sobrietatis habe.
Sed quid ages si quis nolentem ad pocula coget?
Nunc prece, nunc precio, terrificisꝝ minis,
Crebro etiam gladijs (quo nunc sunt more bibaces
Centauri) trucibus plandiloquisꝝ logis.
Cum tali potius malis contendere ferro?
Gratius atqꝝ tibi nectare uulnus erit.
Quid facies quoties inter coenabis honestos?
Pocula qui paulo liberiora bibunt,
Talibus obsequio faciliter seruire negabis?
Esset inhumani pectoris illud opus.
Sæpe propinatum precium nomenicꝝ decusꝝ
Maius erit, quam quod spernere uina decet.
Ne cupias illos inimicos sumere, iuxta
Qui prodesse tibi, quiqꝝ nocere queunt.

DE ARTE BIBENDI

Sed nec te moueat, quod uaccas atque camelos
Dicunt potandi non superare modum.
Recte equidem uaccæ faciunt, belleque cameli,
Ut fert ingenium, nam ratione carent.
Qua si imbuta foret, mox responderet honesto
Uacca uiro, faceret tardus asellus idem.
Sed nec uina bibunt, irritamenta bibendi,
Quis (dic) non liquida mox satiatur aqua?
Dic quot in hospitijs inuitum saepe lacescant
Conuiuæ primis aduena turba cadis?
Longinquis quoties hospes iactaris in oris,
Extera seu quoties ad loca missus adis,
Saepius inuiti casu potare iubemur.
Cogimur inuiti qualia multa pati.
Omnibus in mensis uino certatur, & omni
Vina loco passim prælia multa mouent.
Quæ nam coena caret tali, quæ prandia pugna?
Sorbitione meri quæ (rogo) mensa caret?
Cuncta superuacuo nunc diuersoria potu
Feruent, uinifluo flumine cuncta madent.
Nulla fuit multis seclis uinosior ætas,
Magna potes si nunc sobrius esse potes.
Alter amicitiae cyathum tibi præbibit, alter
Notitiam tecum potor inire cupit.
Tertius, heus primum poteris haud spernere uitru,
Inciuile foret, carpe libenter, ait.
Quartus idem loquitur, caussam quicquid quintus habebit,
Quæ tibi stat nullo rejcienda modo.

Hos

L I B E R T E R T I V S .

Hos n̄iſ pocla ferens contrā reuerenter honestes,
Probro censeris id tibi iure dari.
Atc̄ hæc sunt iustæ tantum præludia pugnæ,
Essent hæc aliquo uina ferenda modo.
Ecce bibens iterum uerso redit ordine primus,
Hospitij hoc ueteris tessera grata facit.
Notitiam melius uult confirmare secundus,
Hinc crebros calices præbibit ille tibi.
Scilicet haud dura patientur fronte sequentes
Se sperni, qua nam dicratione precor?
Accumbit mensæ quidam torquatus eidem,
Multæ cui in digitis lucida gemma micat.
Cui caput est rasum, uestis disiecta, cicatrix
Plurima, & hircinis frons truculenta pilis,
Huius si quid habes animi, data uina recusa,
Incutiet capití pocula spreta tuo.
Si semel atc̄ iterum respondes, prouocat illum
Sedulitas: retines iam miser aure lupum.
Vis alios uitare, cibum uis sumere solus,
Cum te cum reliquis publica tecta fouent?
Maiori sumptu solus coenabis, & omni
Munophago semper durior hospes erit.
Quare ne tali possis succumbere pugna,
Arte pereximia non opus esse putas?
Si rudis à cunctis promiscua pocula sorbes,
Sobria si retines pectora fortis eris.
Hæc qui tradiderit tibi, non erit ille magister?
Aut iactat stolidam futilis artis opem?

i ii Hanc

DE ARTE BIBENDI

Hanc sibi complures artem grandi ære pararunt,
Artem potandi sed schola rara docet.
Nosse potes minimo fiduci præcepta magistri,
Quæ tibi potanti cuspidis instar erunt.
Ut nunquā utaris, quid obest tamen arma parasse?
Siue quid in promptu tela tenere nocet?
Adueniet tempus uinosa quod exigit arma,
Quem stringes si non ad femur ensis erit?
Conspicis ut duris semper stet miles in armis,
Et tamen haud semper, qui gerit arma, ferit.
Ergo animos opus est dociles attendere, nostræ:
Qui dare miliciæ nomina forte cupis.
Principio seu te perduxit ad orgia casus,
Seu ratio certis subdita consilijs.
Et tibi pro ueteri est abeundum aut lege bibendum;
Aut nox in multo peruigilanda mero,
Aut agitanda die uino conuiuia largo,
Si lapis imprimis prouidus esse stude.
Anceps cum bibulis tibi pugna gerenda duobus
Certanti infuso nectare semper erit.
Primus erit tibi qui spumantia uina propinat.
Alter erit cui tu pocula sicca dabis.
Primus te contra potans feret arma, secundus
Quæ tu depellis sentiet arma, bibax.
Nec plures tecum certamen inire falerni
Optes audaci sustineasq; manu.
Noluit Alcides uires tentare duorum,
Fortior Alcida ne uelis esse Iouis.

Vnum

L I B E R . T E R T I V S .

Vnū aliquem insignem numero tibi delige ab omni,
Quem tua configant spicula cuncta trucem;
Hunc pete Achilleo pugnantem gutture, Bacchi
Telis, quæ crebro plena lagæna dabit.
Hunc unum, hunc solum semper iaculaberis hostē,
Ictus excipiat solus & ille tuos.
Pugnasti magna uictor laudabilis arte,
Talem prostrauit si tua dextra uirum.
Plus dedit Aeacidæ laudis fortissimus Hector,
Quam reliqui coesi mille dedere Phryges.
Vincere nec uulgo Danaos Priameius heros,
Sed studuit magnos sternere quosq; Duces.
Semper in audaces spreto Thersite Patroclos
Intentos habuit belliger Hector equos.
Nec tibi sperandum est cunctos te uincere posse,
Pugna est unius non bene firma manus.
Inuaidæ fiunt diuisæ ad plurima uires,
Collectæ, nunquam debile robur habent.
Si bibis ad plures replent tua pocula nullum.
Sed te replebunt pocula multa cito.
Facitac; oppugnat unum tua pocula solum,
Quo uicto, potis es uulgas adire ferox.
Aut si succumbis uictus certamine, magni
Clarius Aeneæ succubuisse manu est.
Tetamen ut cupita letum uictoria laude
Afficiat, potans sic age uictor eris,
Esto memor quæ cuic; feras, quæ cuic; propines,
Ut tibi par prompto reddat ab ore pari,

Nulos

D E A R T E B I B E N D I

Nullos dissimula cyathos, nec parce sodali,
Exige multiplici debita uina prece.
Non est ars pateras posse euacuere capaces,
Non est ars plenos posse uorare cados,
Non est artis opus phialas siccare frequentes,
Et uastos uini non trepidare lacus,
Non si Romanum potando æquare Bonosum,
Non si etiam Firmo firmior esse queas,
Hoc erit artis opus, uirtus hæc summa bibendi,
Vt tibi compotor reddat ubique uicem.
Hic decet attentum te pectus habere bibentem,
Hic oculos Argi præstat habere nimis.
Tu quibus obserues, quæ pocula cuique propines,
Et quo tu graderis callc, sodalis eat,
Expertus dico, nemo est potando fidelis,
Ni fueris cautus decipiēre crebro.
Ante potes níueos coracas, uolucresque chelonas,
Et cygni plumas ante uidere nigras,
Quàm fidum potu, experto mihi crede, sodalem,
Debita mensuræ qui sine fraude bibat.
Non modo mendacem memorem decet esse, bibace
Multò plus memori mente ualere decet.
Quare nulla tuam capiant obliuia mentem.
Præbibe non tacita uana falerna manu.
Ad respondendum uerbis compelle sodalem,
Sæpius appellans heus mihi redde uicem,
Heus mihi redde uicem, siccanda hæc pocula restat,
Cur precor hoc uitrum cessat: & iste calix?

Ad

L I B E R T E R T I V S .

Ad respondendum cunctantis saepius aurem

Velle : meri memorem quamlibet ipse mone.

Quo nam saepe alios pleno craterelacefis ?

Quo sorbes auida pocula plura gula ?

Si non das operam bibat ut data uina uicissim ,

Quem cupis oblato deposuisse mero .

Qui non lethæi potarit gurgitis undas ,

Ille mihi princeps sorbitionis erit .

Qui non mobilibus tradit sua pocula uentis ,

Sed responsa petit nectare , uictor abit .

Expertus multos bibuli uirtute duelli

Vidi potores non habuisse pares .

Cur sunt ante alios uino potuq; repleti ?

Exhausti curam non habuere meri .

Huius ego obseruans præcepti & moris & usus

Prædam de uicto saepius hoste tuli .

Hoc & tu potans obserua uictor abibis ,

Et dices artem pondus habere meam .

Præceps esse caue , stolidi neq; Protesilai

Ante alios Danaos æmulus esse uelis .

Sed lentè propera spumantia uina bibendo ,

Aut properè nullo uictus ab hoste cades .

Ipse recens fessis incumbe , nouissimus exi

In pugnam : fessos uincere quisq; potest .

Crede mihi non sunt Bacchi properanda duella ,

Sed sensim tardo perficienda mero ;

Nonne uides iuuenes feruenti mente feroce s

Vt subito extincto pectoris igne iacent :

DE ARTE BIBENDI

Dum temerè properant non festinanda falerna,
Et cumulant haustus haustibus usq; nouis.
Cuncta quasi in celeri staret uictoria potu,
Quo te non alias ebrius ipse grauas.
Sanguineis bellis saepe est properantia lucro,
Qua dux incautos obruit arte uiros,
Atq; improviso prosternit Marte quietos:
At uinosa pigrat stat nisi pugna mora.
Qui subitos audi calices ingurgitat ore,
Ridiculus primum hic omnibus esse cupit.
Ergo meo monitu potando lentius, ipse
Carminibus dices pondus inesse meis.
Quem properare uides crebro huic occurrere falerno,
Bis uictu facilis fit properante mero.
Haud labor est ullus tales submergere potu,
Ipsi se mergunt sedulitate sua.
Sicut miles iners temerè procurrit in hostes,
Et fultus nulla quenq; lacepsit ope,
Ense leuis nudo, parmacq; inglorius alba,
Ille sua culpa uictus ab hoste cadit.
Quod tibi ne eueniat lentè properare necesse est,
Et circumspectis lambere uina labris.
Sed necq; uina uora, nec auariter ingere potum,
Nec crebro magnis haustibus inde merum.
Obruit ebrietas ita festinata bibentem,
Et uomitu turpem ridiculumq; facit.
Haustibus euacula carchesia magna pusillis
Paulatim, audaces uina uorare sine.

Ipse

L I B E R T E R T I V S .

Ipse lubens primos illos concede triumphos,

Et prima pugna celtica corda gerant.

Vltima laus tua sit, tua sit uictoria, tantum

Prouidus inuicta confere bella manu.

Nec male pransus adi iejuna pocula lingua,

Nec uinum uacuo uentre crepante bibe.

Quod nisi uitaris citius repleberis illo,

Quem conabar is tu superare mero.

Faconeres uentrem grata dapis ante saburra,

Et fundamentum potibus ante iace.

Indulge dapibus, licet urgeat unus & alter,

Dic, nondum plenè sum satur ipse cibo.

Non feret ille moras, nec prandia lenta uorantem,

Sed quaeret cui nam pocula prima feret.

Interea ueniet tibi grata cupido bibendi,

Ante merum sumptum si bene pransus eris.

Hinc improsum sumptis inuade cypellis,

Dulcia quæ blanda reddit a uoce bibat.

Quem si compereris ad uina bibenda lubentem,

Et facilem, ulterius, qua uia ducit, eas.

Præueniens semper nullum concede regressum,

Quo te de cursu detrahat ille tuo.

Succedant calici calices, carchesia trullis,

Incep locum subeat uasta capedo cadi.

Nec mora, nec requies, sed crebræ grandinis instar

Ingere non pigra pocula multa manu.

Protea iam retines, constringe tenacia uincla,

Ne requiescendi possit habere locum.

DE ARTE BIBENDI

Effice ne posthac quisquam te uoce laceſſat,
Plenis urge cadis hæc ubi ſigna uides.
Dum iam fastidit, dum nauſeat ille falernum,
Emicat & ſubito magnus in ore rubor.
Increpat aſtantes ſæua dum uoce ministros,
Poſla quod ante alios uberiora bibat,
Si iam balbutiens uerba imperfecta profatur,
Sæpe puellarem ſi petit æger opem,
Pocula ſi crebro lambit, ſi uina pitiffat,
Et crebro ex udo ſi ſpuuit ore merum,
Callidus effundit ſi clāmuae palāmuae falernum,
Hæc fermè uicti ſigna bibentis erunt.
Iam prior extinctis flammis deferbuit ardor,
Urgemero, uictas iam dabit ille manus.
At ſi præueniens aliquis te oppugnat & urget,
Et iam uallauit obſidione meri,
Accumulans cyathos cyathis, haufiſuſq; ſubinde
Haufiſibus ingeminans, conduplicansq; nouis.
Nec respirandi tibi linquitur uilla potestas,
Atq; renitendi copia nulla datur.
Hoc opus, hic labor est curſum turbare ferociſ
Hostis, & è plana uertere uela uia.
Victoremq; meri palma ſpoliare perita.
Aut æquo ſaltem Marte redire domum.
Fac ergo quoties pugna es congreſſus iniqua,
Et ſtant ante tuas pocula multa fores,
Reſponde ſenſim, nec uina oblata recuſa,
Crede ſuis audax uiribus ille ruet.

Interea

L I B E R T E R T I V S .

Interea poscas magnum cratera ministrum ,

Quem bibat alterna te referente uice .

Oblatum querulo si spreuerit ore falernum ,

Et debere palam te sibi multa docet ,

Et soluenda prius portati debita uini ,

Et sibi reddendum plenius esse uicem .

Hactenus ecce à te tot pocula plena recepi ,

Inçz , nec inuito sedulus ore bibi ;

Tu tamen hoc uno & primo cratera grauaris ,

Quem iussit summus me tibi ferre pudor .

Qui nisi honestarem te contrà , ferreus essem ,

Rusticiorçz Scythis , barbariorçz Getis .

Pocula quæ mihi adhuc à te sorbenda supersunt ,

Omnia non alia sedulitate bibam .

Non ita inhumanus , necçz erit sic truncus agrestis ,

Vt queat hoc pacto uina negare tibi .

Accepto uino mox est de tramite pulsus ,

Verfaçz de cursu uela secunda suo .

Hinc tibi soluendi spacium tempusçz parasti

Debita , quæ solui flagitat ille sibi .

Nec metus est ne te properata protinus obba

Obruat , & celeri degrauet usçz mero .

Sunt sorbenda duo prius illi pocula , primum

Quod sumpsit : demum quod tibi ferre cupit .

Interea facili dabitur tibi copia casu

Potando primum qua tueare locum .

Quaçz addas primo mox altera dona metallo ,

Mox dabit his alius tertia uina locus .

k ij Hac

DE ARTE BIBENDI

Hacte non alia euolues ratione Lyæo
Oppressum, si tu nauiter usus eris.
Hæc tibi præstabit uinosam regula palmam,
Hæc mihi uictoris nomen habere dedit.
O mihi præteritos referat si Iupiter annos,
Qualis eram iuuenis plurima uina uorans
Dum firmæ stabant iuuenili in corpore uires,
Nec dum dilapsum tempore robur erat.
Dum uiridi fueram uini patientior æuo
De uino referens multa trophæa domum.
Talibus instructus præceptis, arte, magistro,
Strauisse cunctos sorbitione meri.
Obuius haud quisquam mihi sese impunè tulisset,
Seu uenisset eques, seu foret ille pedes.
Hausisse Oceanos totos, uiniq; paludes
Siccassem, oblati uastaq; stagna meri.
Ut quondam Scythicis audax sum cognitus oris,
Bacchica cum primum miles in arma rui.
Quando Cypellomachus Parthorum ductor atroci
Mente furens bibulis intulit arma Scythis.
Horum sceptra tenens regalia forte procaci
Chandopotes nostrum læserat ore ducem.
Miserat Oenoptam rex Parthicus annua poscens
Reddere quæ debet pocula Chandopotes.
Inter at ille probè iam uina líquentia potus
Debitor est olim rex mihi uester, ait.
Dena propinuai totidem mihi pocula debet
His mihi siccatis annua dona feret.

Exigit

L I B E R T E R T I V S.

Exigit iniustè multam , respondeat ante
Ceu par est , decies pocula dena mihi .
Vt nostræ leges & foedera facta loquuntur ,
His stet : siue sciat bella parata sibi .
Rettulit Oenoptas uinosi dicta tyranni ,
Illa mouent stomachum dura Cypellomacho .
Sicut saepe leui de caussa atrotia surgunt
Bella , haec si caussa lis fuit orta leui .
Nec mora collectis mox regni uiribus addit
Ille sibi Thracas , Bacchicolasq; Getas ,
Atq; Leontinos , uocat ad socia arma bibaces
Francos , his iunctus tunc comes ipse fui .
Sic intrans Scythiae contracto milite fines
Diripiit hostili barbara regna manu .
Pugnatur passim poclis ingentibus , omnes
Siccantur crebra sorbitione penus .
Cumq; hostes nollent nobis occurrere pugna ,
Et conferre palam signa pedemq; negant .
Omni uastata circum regione Scytharum
Cinximus Oenopolin obsidione graui .
Non bene munierat ducta tentoria fossa ,
Et iacto uallo castra Cypellomachus ,
Chandopotes acie portis erumpit apertis ,
Vt subita incautos obruat arte Getas .
Hic improviso complentur castra tumultu ,
Ordine dum nullo miles ad arma ruit .
Franguntur calices , carchesia , cymbia , quisq;
Pro se quod potuit rem gerit , atq; babit .

At

DE ARTE BIBENDI

At crepitu, & strepitu, & sonitu, & clamore bibentū
Et plausu, & mixta uoce strepebat ager.
Audijt alterius uocemq; & uerba loquentis
Nemo, satis proprium sensit ab aure sonum.
Vinorum undantes riui per castra fluebant:
Ossibus & spinis lubrica squaler humus.
Quis cladem illius lucis, quis pocula fando
Explicit: aut uerbis uina referre queat?
Vidisse Cotylis nullum, aut certare cadiscis:
Grandibus Ecpetalis edita pugna fuit.
Ancipiū multo pugnamus tempore Baccho,
Excitat audaces duxor uterq; suos.
Tandem Zoropotes aciem perfringit, & infert
Ignigenæ intrepido signa secunda pede.
Et primum grandi patera prosternit Epachtem
Durum & morosum difficilemq; Scytham.
Incitat ultorem Pàraspondus Epachtis Amictum
Consimilem uita, moribus, ingenio.
Non impunè tamen: uitrea uolat obuius orca,
Plus quam metretas tres capiente meri
Zoropotes, sternit Paraspondū, sternit Amictum,
Lathrophagū & Lichnū, Dætron & Oenochou.
Zoropotæ uirtus alios accedit inertes:
Surgit ab alternis maxima pugna cadis.
Dicite Pierides, non omnia possumus omnes,
Quò quiuis cecidit uictus ab hoste mero?
Et meministis enim Musæ, & memorare potestis:
Spectastis siccae prælia nostra Deæ.

Septenis

L I B E R T E R T I V S .

Septenis cyathis iugulauit Alazona uictum

Apsicorus , denis Phorticus Apsicorum.

Lerus Nestoreo stravit Nephona Cypello,

Deinceps & Phlyarum, cumque Epulone Lalum.

Oenophlyga Abrobius, Metadorpius Abrodiætus

Autorophes Graia uicit utroque Choa.

Dipsaleum grandi Methion ecpomate mutum

Fecit, & oppressit lumina fessa sopor.

Gastroborum uino, musto sepeliuit Aœnum

Syllitus, frater cui parasitus erat.

Quos genuit Methysa genitrice parens Homositus

Cum Metrioso fratre minore Geta.

Osse recusantem sorbere petit parasitus

Perfusum multo Symposiarcha mero.

Mixta mero in medium rustanti gutture mensam,

Compodes largo flumine frusta uomit,

Trygobius plures, quos fama obscura recondit,

Reddidit oblitos , immemoresque sui.

Quem tamen Exœnus , dum forte meratius haurit,

Compulit in celerem cum Comedone fugam.

Non tulit hoc Lurco, Exœnum cum fratre Parœno

Oppressit cotylis corsica uina bibens.

Vidit iners fratrum casum, ingemuitque Dysœnus

Vltor, ait, uenio uindice Lurco mero.

His dictis illum ferunt Spumante Monoto:

De uicto sperans hoste trophæa sibi.

Exorbens Lurco conatus risit inanes,

Iamque mea dextra præda Dysœne cades

DE ARTE BIBENDI

Dixerat, & pleno miserum petit Amphicypello,
Ter bibit hoc Lurco, ter quoq; Lurco replet.
Vicisti me Lurco, tua est Lauinia coniunx,
Vlterius noli tendere quæso mero.
Saucius hæc orat lingua titubante Dysœnus,
Et ruit in secundum quod uomit ore merum.
Ampelon intonsum satyro Nymphaq; creatum,
Barbato attondit Lesbius ore Tragus.
Ampelon haud uino, sed uindicat ense Creurgus,
Mactatur Baccho uictima grata Tragus.
Impatiens uini ad gelidas Abstemius undas
Fugit, quem sequitur sobrius Hydrochares.
Fugit & abiecta Ripsaspis Asymbolus hasta,
Sed neq; Thymbrophagus uina Biæa tulit.
Nec tulit instantem frugalis Adipsus Asotum,
Deserta pugna fecit & ille fugam:
Ex alia sed parte Philoxenus atq; Triphetes,
Collis insignes hic bouis, ille gruis,
Et Gluto, & Cothon, & equino gutture Gurses:
Treitusq; Bibo, treitusq; Nepos,
Quærentes crebris superare Progastora podis,
Cuius aqualiculus uasta Charybdis erat,
Hosti non uicto palma cessere relicta:
Percussi proprijs uiribus, atq; manu.
Militibus nostris hic plurima damna dedisset,
Ni pigrum caperent munera tarda pedum.
Obstabat uenter plaustro currente uchendus,
Et misero aurigæ defuit officium.

Oenobares,

L I B E R T E R T I V S .

Oenobares, uino dum durius urget Agrœcum,

Et responderi postulat usq; sibi,

Nescius agrestes crabrones prouocat in se,

Et bene sopitos in sua damna canes.

Quippè uirum (minime dū præcauet ebrius hostē)

Crinibus arreptum sternit Agrœcus humi.

Prostratumq; graui patera ferit, atq; cruentans

Dentibus excussis tundit utrasq; genas.

Et miserum insultans dictis subsannat amaris,

Ecquid ego retuli nunc tibi rite uicem?

Oenobares cerui cor habens, oculosq; caninos,

Aut si non satis est præbibe, plura bibam.

Ecce Philoscommo Graio Philopægmone natus,

Ebria Chandopotæ castra sequutus erat.

Ille ut erat nulla clarus uirtute, nec armis,

Ridebat fallo quoslibet ore tamen.

Dumq; uomit passim digna atq; indigna relatu ,

Et lacerat leuibus pocula nostra iocis.

Obuius huic tota fertur Manduco lagæna,

Qualis in Erpachio dicitur esse penu.

Hauſtibus inde tribus stolidum cōpescit Achium,

Vt nunq; posthac soluerat ora loquax.

Et in Bomolochum prosternit, & Acritomythum,

Aptolenumq; tuos ô Philoscommo greges.

His ita deiectis sensim discedere uisi

Sunt hostes, nostram Marte iuuante manum.

Iam quoq; Chandopotes decies psyctere petitus,

Versis uictus equis terga daturus erat.

DE ARTE BIBENDI

Quippe Cypellomachus tantum psyctere bibendo
Noluit exiguis belligerare cyphis.
Intrepidus pugnam nisi restituisset Aplestus,
Ille leontino natus Aplestus agro.
Inuictum pectus nulloq; domabile uino,
Cui tres tunc uentres, & tria guttura erant.
Ter uino sternendus erat, tria pocla bibenda,
Aut labor inceptus irritus omnis erat.
Pentaploo uini certamen obibat & orca,
Vidi non paucos obstupuisse uirum
Hauserat ille prius quantum non tres elephantii
Naribus haussissent, sic mihi crede, suis
Iamq; neci Sthenelumq; dedit, Thamyrumq; Poluq;
Atq; Lamum atq; Lagum, Demodocumq; Geta.
Chloreaq; Sabarimq; Daretacq; Thersilochumq;
Et plures, longum quos memorare foret.
Inde meum fratrem, uicto Philopægmone, sternit
Obsophorum : natu me minor ille fuit.
Hic ego deiecti fratri casu atq; dolore
Commotus, contrà strenuus arma paro.
Addunt se nobis Eucenus & Ilapinastes,
Helluo & ipse suam contulit acer opem.
Apleste impleto quid me sæuissime fratre
Terres? & telis quid minitare mihi?
Tolle minas uenio uomiturus, & hæc tibi porto
Dona prius : leto dona futura tibi.
Ne meus hic faxo iaceat sic frater inultus,
Sic ego, sic contra ferreus ille refert.

Sic

L I B E R T E R T I V S .

Sic pater ille meri faciat , sic sanctus Iachus ,

Incipias mecum conseruisse manum .

Sordide fumosæ cultor sorexçculinæ ,

Mox comitem fratri te fugitiue dabo .

Talia iactanti ternos tribus haustibus utres

Præbibo , tres magnos his ego iungo cados ,

Et totidem pateras unâ superaddo capaces ,

Semper gutturibus pocula tria tribus .

Ebbit intrepidè ternos tribus haustibus utres ,

Siccandis pateris deficit atq; cadis .

Ergo ruens uomitu foedat barbam atq; capillos

Percacat & foedè subligar omne suum .

Exanimem socij rapiunt , moesticj sub urbis

Lectica molli moenia celsa ferunt ,

E stabulis collecta gerunt qua stercore serui ,

Purgat & immundas quæ Syphorus haras .

Sed quæ proluuies ; quæ flumina ; quanta ruebat

Quæ de gutturibus stagna refusa tribus ;

Vix equidem tantum septenis Nilus aquarum

Faucibus in uastum proluuit Oceanum .

Plurima uidisse fluitasse poteria , currus

Vi uomitus , totos , plenaçplaustra rapi .

Eunuchus regi charus gratusç Bagoas .

Illis uinifluis mersus obisset aquis ,

Tres quoq; Pygmæi pariter male nare periti

In tali capti gurgite morte forent .

Crinibus hos nisi correptos seruasset Asotus ,

Ob quos seruatos ciuica ferta tulit .

DE ARTE BIBENDI

Fit fuga per campum deiecto turpis Aplesto,

Nec, qui porrò ferox tolleret arma, fuit.

Aut qui pugnaret protenta cominus hasta.

Tantus perculerat pectora cuncta pauor:

Inde Cypellomachus fuso de rege Trophœum

Erigit, & donis afficit ille suos.

Me torque & denis auri argentiq; talentis

Accumulans equitem rex iubet esse nouum.

Quando mihi esset equus, qui me portaret, ut essem

Semper eques, sed eo deficiente pedes.

Tempore sed Scythicos referā meliore triumphos,

Præsentis non est carminis istud opus.

Nunc quo d'gressus fueram mea uela reducam,

Eçq; uago in rectam calle redibo uiam.

Fac præceptorum studeas memor esse priorum,

Sic tibi ferre queunt quæ referentur, opem.

Est clypeo miles semper munitus & ense,

Munitum clypeo te quoq; & ense decet.

Quo subitos iictus uini depellere possis,

Promptus & aduersa spargere tela manu.

Grande tuas (nec sit tibi dura angustia mensæ)

Vas semper madidas excubet ante fores.

Hoc uice sit clypei, quo non utere, duellum

Dum tibi cum primis usq; duobus erit.

Extra sed pugnam si quis te prouocat, illo

Perge lacessentis pellere uina mero.

Vina propinanti fer uinā, ferire uolentem

Protinus educto tu simul ense feri;

Sic

L I B E R T E R T I V S .

Sic absterrebis , sic ensem continet ensis ,

Pellendus clavo sic tibi clavis erit .

Hoc quod præcipue (nec enim leue pondus habebit)

Præceptum memori condere mente stude .

Nil extra numerum uelis acceptare falerni ,

Nec quod ab obliquo tramite forte uenit .

Nemo bene potis est geminis incumbere bellis ,

Et bene nemo domi uina forisque bibit .

Dic præsto plures alios hic esse sodales ,

Sed te non cunctis posse referre uicem ,

Sentis uelle aliquos icto clam foedare tecum

Et coniurato belligerare mero .

Nil prius accepta quam foedus scindis iniquum ,

Ictum salaci more sodalicij .

Solus ut exhibeas grauis ebrietate cachinnos ,

Qua ratione decet scindere foedus , aies ,

Conspirasse mero uos in me sentio , dicas ,

Sed nego me uestris uiribus esse parem .

Solus uobiscum certamen iniire recuso ,

Solus cum multis morio bella gerat .

Continuum Graio sed more bibamus in orbem

Si placet , haud alia conditione bibam .

Hac ratione bibens iuncto cum foedere iunctis

Defendes nulla cum grauitate locum .

Sic omnes unoque parique labore grauantur ,

Sic par ferre meri cogitur omnis onus .

Sed neque turbabit nunc hic te , aliunde sed ille ,

Nec clypeo excipies omnia tela tuo .

Nam

DE ARTE BIBENDI

Nam qui non solus possis succumbere uino,
Si præfixus eris omnibus ipse scopus.
At tu si quæreris cursus tardare secundos,
Quæreris currentes debilitare cyphos,
Orbis in aduersam poculum iaculabere partem,
Et prius emissis obuia uina cadis.
Deniq; uis quoties æquo contendere Baccho,
Hæc seruanda tibi regula semper erit.
Nulla per obliquū, sed cuncta bibantur in orbem,
Nec faciant ulla pocula missa cruces.
Hercule amabilius nullum genus esse bibendi
Hoc, neq; uina magis candidiora scio.
Hoc nisi dum sorbent faciles utuntur amici,
Vtitur hoc madidæ gens bona Saxonæ:
Dum coctam Cererem potant, crassosq; liquores:
Hei mihi cur uinum non habet iste locus.
Digna mero gens, superum gens nectare digna,
Quæ tam fraternè pocula aquosa colit.
Hoc etiam tacitum, quamuis sit ponderis instar
Haud magni, minimè dissimulare queo.
Vt nihil à genero capias, à sanguine iuncto
Tantundem cape me præcipiente meri.
Non si te rogitet, non si te culpet agrestem,
Dixerit & silices pectori inesse tuo.
Et quia rixosas damnant coniuia caussas,
Nec locus est inter libera uina foro.
Inter rixantes orto certamine, uino
De dubio præceps arbiter esse caue.

Nec

L I B E R T E R T I V S.

Nec te teste reus quisquam dicatur, & ulli

Alterius nunquam nomine uina dabis.

Semper enim tales donaria digna reportant,

Pondere quæ certo uina priora grauant.

Quædam firma parū dedimus præcepta bibendi,

Sed tamen ista simul non leue robur habent.

Hæc sunt assiduum tibi confirmando per usum,

Citra quem possunt dogmata cuncta nihil.

Semper in eximis potis est plus artibus usus,

Quam præcepta scholas utilitate iuuant.

Vsu artes crescunt, usus facit esse magistros,

Vsum quisquis habet, grande iuuamen habet.

Quælibet impigro perfectior ars fit ab usu.

Quis satis hunc merita tollere laude potest?

Hoc nisi firmatam tibi ritè paraueris artem,

Ebrius immunda saepe iacebis humo.

Sicut ego iacui non raro in stercore (cunctis

Hei destitutus artibus) inç luto.

Caussa fuit lapsus, quoniam mihi defuit usus,

Instructo nuda scilicet arte parum.

Quapropter nostris præceptis ipse iuuari

Qui cupis, assidua pocula uerte manu.

Atq; assuesce merum portare capacius haustum,

Ne te subuertant pocula trina cito.

Disce meis monitis uinum potare gradatim,

Pocula sex hodie, cras bibe pocula decem.

Qui modo fers uitulū, poteris mox ferre iuuencum,

Si tua uis, certos, est habitura, gradus.

DE ARTE BIBENDI

Pone rudimentum non in fugiente falerno,

Non in diluto, fortia uina bibe.

Quæ si ferre uales, & aquatica ferre ualebis,

Quæ crescunt ripis Necchare cincta tuis.
Et bibe dum solidæ iuuenili in corpore uires

Florent, & genua dum tibi firma uirent.

Nec tua tardigrados certamina differ in annos,

Quo senior fies hoc mage miles iners.

Nec tamen hañc artem mox infamabis, & illum

Qui præcepta libens tradidit ista tibi.

Vinoso quoties fueris certamine uictus,

Tempore non omni uictor abire potes.

Sicut enim Martis dubia est, sic alea Bacchi,

Ludunt fallaci uina fauore quoq;

Non semper, licet armorum bellicq; peritus,

Hannibal è cœsis hostibus arma tulit.

Nec passim uitreas Trasimeni Poenus ad undas

Contudit Ausonios Marte fauente duces.

Nec te, sis nostra quamuis bene tritus in arte,

Speres uictorem semper ubiq; fore.

Porrò ubi destitui cum ui te senseris arte,

Debilitas artis fraude iuuanda tibi est.

Quamuis laudo minus factas in nectare fraudes,

Qui fallit uino, fallit & ille fide.

Si tamen insidijs alios & fraude uidebis

Nitier, insidijs uina bibendo strue.

Fraude sinum Bacchi leges depellere fraudem,

Cæsaris ut uim ui pellere iura sinunt.

Fallere

L I B E R T E R T I V S.

Fallere fallentes nulli solet esse rubori,

Cretensis mendax fraude petendus erit.

Quid prohibet Lapithas astu superare feroce?

Centaurosq; truces uincere fraude merit;

Spreuit Alexander furtiuæ præmia palmæ,

Nolens hostiles fundere nocte globos.

Tu mage Troiani laudabis uerba Chorebi,

Furari palmam grande putato decus.

Falle mero, dolus an uirtus quis in hoste requirat?

Fallendi formas mille tenere potes.

Corrumpendus erit paruo prius ære minister,

Aut clàm promissis alliciendus erit.

Misceat ut reliquis fortissima uina, tibi uni

Sobria supposita pocula ministret aqua.

Lene merum modici tibi præbeat ille uigoris,

Sorbeat annosum cætera turba merum.

Vina uetus statem portantia linque feroci,

Si præsto est mustum sedulò carpe nouum.

Vinum dulce datur, tu crebrius utere dulci,

Ebria dulce minus pectora crede facit.

Si tamen & reliquos delectant musta bibones,

Ingere clàm calici uina uetusfa nouo.

Si deprensus erit facile excusabitur error,

Pincernæ peccat talia multa manus.

Sæpe foras exi mictum, lucrabere tempus,

Quo deturbantur debita uina loco.

Aut oblita tuis quæ tandem negligit hostis,

Non respondendo siç ego multa bibi.

DE ARTE BIBENDI

Mitto alias fraudes simul insidiasq; dolosq;

Quæ possunt bibulis omnibus arte strui.

Si tamen urbanè conuiuas fallere quæris,

Mox à conflati limine Symposij,

Pocula principio quæ dantur cuncta recusans,

Dic potum uires non bene ferre tuas.

Corporis affecti simulatos finge dolores,

Mendaci morbos fingere fronte decet.

Cuncta meri fore dona tibi gratissima, paulò

Sed prius à morbo conualuisse graui.

Inde bibenda tibi præscriptæ uina diætæ,

Magna tibi rursus nî dare damna uelis.

Hæc excusatem nemo te ad pocula coget,

Moribus incultis ni Polyphebus erit.

Post ubi conuiuæ primò incaluere Lyæo,

Insere sed placido uina benigna pede.

Ne me conuiuæ fortasse putetis agrestem,

Quamuis firma parum sit ualetudo mea,

Attamen hanc pateram plenam saliente falerno

Præbibo uicino pignus amoris ego.

Admissus tali ad communia pocula pacto,

Tandem cum fessis dissimulata face.

Hac quoq; fraude potes semel omne cauere falernū,

Arrident animo cum male uina tuo.

Profuit hæc etiam nobis fallacia multum,

Qua fermè potus sæpius utor adhuc.

Postquam penè mihi uideor succumbere uelle,

Et multis cyathis membra grauata iacent,

Atq;

L I B E R T E R T I V S.

Atox stupent omnes consumptæ in pocula uires.
Nec nobis ultra spes opis illa datur.
Occultè mādida ritubans discedo palæstra,
Et fugio erranti feruida uina gradu.
Sic nōdum accepto lætali uulnere, memet
Semianimem certæ subteraho sepe neci.
Sperata palma spolio simul antibibones,
Quām ferrent de me non abeunte prius.
Nil uerat exemplum cur non imitere magistri,
Nec uelit occultæ te puduisse fugæ.
Nescis palladijs quid summus rhetor Athenis
Fecerit, & factum non sine laude fuit.
Illum non puduit dici ripsa spida, quippe
Vir fugiens iterum Bacchica bella geret.
Et tu cede prius quām quid committis incepti,
Et fias bibulo fabula salsa choro.
Ergo ubi cuncta tibi uincendi est dempta potestas,
Incipiant fessum uina referre pedem.
Nemo tuo sic se iactabit uulnere, nemo
Clamabit uitum te cecidisse mero.
Sed quid tundo tuas studijs puerilibus aures,
Quærendo uarias sobrietatis opes?
Cur præceptorum summam non promo meorum?
Semper ut inuicta pocula mente colas,
Dicam equidem, nec te suspensum nate tenebo,
Qui semper salua cum ratione bibas.
Eos inter magna uirtute lapillos
Purpurea facie dicitur esse lapis,

m ij Ille

D E A R T E T B I D E N D I

Ille Methen abigēs & acrepala pharmaca præstans,
De uirtute sua nobile nomen habet.
Cum Grais Italæ gentes dicunt amethystum,
Ille Gygis gemmis anteferendus erit.
Quouis hunc precio inuentum mercare lapillum,
Vinciat articulos annulus iste tuos.
Ille tibi, si non fallit natura, bibenti
(Talis inest illi uis) amethystus erit.
Perpetuae custos hæc sobrietatis habetur,
Et non sectandæ gemma inimica Methen.
Aethiopum reges hoc delectantur & Indi,
Quo bene securi uina perennè colunt.
Cui tamen hanc gemmam penuria denegat æris,
Ille sibi alterius pharmaca quærat opis.
Plurima sunt nobis irritamenta bibendi,
Plurima quæ pellunt dat tibi mensa Methen.
Rhaphanus est modico medicina parabilis ære,
Ante merum sumptus dissipat ille Methen.
Infensa origano nec uitibus æqua secundis:
Excludit nimiam brassica cruda Methen.
Discutit hanc etiam gustatis sectile porrum,
Arcet ieunis cepa comesta Methen.
Nec tibi nequicquam laudatur amygdala gustu,
Non quæ sit dulcis, sed sit amara suo.
Nec male pulmo ciræ pecudis præsumitur assus,
Tantudem coryli crede ualere nuces.
Et siccæ fici possunt defendere siccōs,
Excitat & ficus non bene cocta sitim.

Profluit

L I B E R T E R T I V S .

Profuit & meminisse croci prohibere ualentis

Hæc mala, si quando, ceu decet, haustus erit,
Sunt qui non dubitant etiam gustare cicutam

Ante merum, res est insidiosa nimis.

Talia contingant inimicis pharmaca nostris,

Proderit his longe simpliciora sequi.

Tu quoqz feruenti memor interpone Lyæo,

Haustum de gelida iam bene potus aqua.

Discutit hic si quam contraxeris ebrietatem,

Igneus opprimitur frigore feruor aquæ.

Et quid hirundinei mōstrem tibi pharmaca rostri?

Quæ tibi sumenti crapula nulla nocet.

Neluescas Halymi supponere semina linguæ

Vndam dlytorio de neqz fonte bibas.

Et bene conditas diuerso puluere coenas

Sumere non auida tiro memento manu.

Condimenta merum uel debile uiribus augent,

Fortia dic quanto uina calore iuuant:

Quanquam reclamet medicorum turba, sed usu

Hoc didici uerum, quod loquor, esse nimis.

Plus me quām medici mouet experientia, quippe

Quæ solum medicos reddit & ipsa bonos.

Hæc quoqz ad extremum præcepta prioribus adde

Potanti nunqz prætercunda tibi.

Nulla cum muliere meri certamen inibis,

Nec cum multibiba congregidiēris anu.

Inueniuntur enim mirando gutture Bacchæ,

Quæ spernunt ipsum uina bibendo deum.

DE ARTE BIBENDI

Quas bene Amazonis possis conferre pueris,
Quoslibet audentes sustinuisse uiros.
Quamuis has uino uincis, uictoria laudis
Aut nihil, aut prorsus est habitura parum.
Quippè tibi imbellis magnū & memorabile nomē,
Nulla dabit multo foemina uicta mero.
At si uictus eris, cunctis ludibria fies,
Quod uir ab imbelli uictus es ipse manu.
Sicut Pelidæ non multum laudis Amazon
Victori uirgo Penthesilea dedit.
Rectius Aeneas Helenen iugulare lacenam
Nolens, quæ patriæ cauilla ruentis erat.
In tali pugna potius Cythereius heros
Quām ferus Aeacides tiro sequendus erit.
Insuper est tibi mens ludibria plura cauendi,
Et mala uinoso saepe ferenda: uide
Ante ne decoctum lecto somnoq; falernum
Ebrius è tectis egrediare tuis.
Hæc tibi prima puer fuerint elementa bibendi,
Quæ si cognoris mox grauiora dabo,
Quæ nunc ferre nequis, phibet q; cætera Bacchus
Effari puero, non nisi fanda seni.
Hæc ego uersiculis cecini iuuenatus ineptis,
Quæ qua scripta uides, hac quoq; mente legas.
Vt nobis uacua placuit nunc mente iocari,
Sic quoq; censem carmina nostra iocum,
Nec mihi propterea metuendos esse Tomitas
Spero, nec Euxini frigora dura freti.

Non

L I B E R T E R T I V S.

Non docui qua sint fallendæ fraude puellæ,

Nupta nec alterius quo capienda dolo.

Non scelerata sonat uiolati criminis lecti

Ars mea , nec Veneris turpia furta sonat.

Oscula nulla docet , nisi quæ figenda Lyæi

Sunt placido plenis ore pudica cadis .

Nullus amor , nullum nostro est in carmine stuprū,

Nullum habet infandum nostra camœna scelus.

Sobria concessi monstrauimus orgia Bacchi ,

Nonnunquam & liciti bella iocosa meri.

Judicij ideo non sum damnandus iniquis ,

Nec peccata Methes , nec mala lustra probo.

Nec me uinoso madidum de carmine cense ,

Ebría Musa mea est , sobria uita mihi.

Quod uinum gelidis ego poto libentius undis ,

Hoc mihi quis uicio uertere quæso uelit:

At tu qui nostram non horres liuidus artem

Carpere , & obliquo rodere dente Theon.

Non mala , non diras tibi iniquior imprecor ulla,

Ibide quas memorat Naso poëta sua.

Dummodo propitium nunquam tibi numen Iachi

Esse uelit : potes ut bona uina semel.

Læticia careat , careat dulcedine Bacchus

Improbè spureidico quem bibis ore Meui.

Nullus contingat sitibundo nectaris haustus ,

Pellat uappa tuam , turbida fexç sitim.

Degustes non lene merum , non dulce falernum ,

Pendula uina bibas , mucida uina bibas .

Deniqp

Deniqe quando uides lepidos potare sodales,
Et nitida lætum sumere fronte diem,
Despectus solus sedcas, & ringere tristis,
Inuida discruciat dum tua labra sitis.
Mænades & Satyri demum (ceu Penthea matres
Thebanæ) lacerent te perimantqe male.
Et tua claudantur nullo sparsa ossa sepulchro,
Quod rabido faciles carpferis ore iocos.
Lusus habet finem, iuuenes date uina magistro,
Non alia à uobis præmia nance peto.
Dumqe meam plenis cyathis uersabitis artem,
Discipuli memores uos precor este mei.

τέλος.

Thomæ Venatorij carmen.

REs indigna uiro totam consumere noctem
 Inter Thysigeri, pocula larga, Dei.
Infaustum studium, si cum spumante Lyæo,
 Vndantes pateras nox alit usq; nouas.
Res sed digna uiro latices haurire salubres,
 Fundat ut æternum Cygnus ab ore, melos.
Sic rigidos olim legimus maduisse Catones,
 Triste supercilium sic posuisse Sophos.
Scilicet est aliquid certa ratione bibisse,
 Hæc pars mansuræ maxima laudis erit.

Eiusdem aliud.

QVi didicisse uoles quæ sint incōmoda Bacchi,
 Quæue uicissatim commoda Bacchus habet,
Hos lege, non uana conscriptos arte libellos,
 Quos hominum generi, Sobria Musa dedit.

Norimbergæ apud Ioh. Petreium,
 Anno M. D. xxxvi.

Анна А. А. К. А.